[illegible]
MEDICA

[illegible]



[illegible]


CONSILIA MEDICA,

ET EPITOME PVLSVVM ALEXANDRI ALEXII


PHILOSOPHI ET MEDICI.


Ex sacro Collegio Patauino in primo loco Almæ Vniuersitatis Atestinæ eius Patriæ Medicinam Practicam cum omnium vtilitate profitentis:

In quibus Methodus accurata cum Praxi Theorica coniungitur: & est Tabella Consiliorum, & Index rerum notabilium in eis contentorum.










Patauij. Apud Gasparem Criuellarium, Typographũ DD. Artistarum 1627. Sup. Permissu.



Illustrissimo Viro

SENATORI AMPLISSIMO

BERTVCIO CONTARENO

Illustrissimi

HIERONYMI FILIO


Alexander Alexius S. D.



HÆc ego Consilia Medica edidi in communis vtilitatis gratiam solum, vt non mihi soli, sed & societati esse natum ostenderem: edidi autem, vt consuetudinem sequar, & paream amicis. Inter alias heroicas tutelas potius sub tutela, & præsidio tuo, Illustrissime Patrone, vt ego tibi hos meos labores tanquam munus de-

ſtinando Deus & Fœlicitatem, tu protegendo maiorem amplitudinem tuæ gloriæ, ego docendo caritatem;per te ſplendorem,per me homines vtilitatem: tu recipiendo hos labores ab hominibus forſan non neglectos tui claritatem tenentis clauum Pietatis Abſtinentiæ Manſuetudinis Humanitatis Temperantiæ Induſtriæ Prudentiæ, & Iuſtitiæ; ego per tuam acceptionem animum veniendi munere grandiore conſequar. Benigne igitur accipias munus meo ingenio grādius, verum perexignum pro te affectui, & debito meo. Vale.

LECTORI BENEVOLO.



Tilitatem optas, ego in hoc libello attuli; verùm non ſpoliatam, ſed dictis grauiſſimorum Virorum ornatam, vt multo magis etiam cum iucunditate ſocietati proficiam; hæc ornamenta poſſunt tolli ſine coruptione veſtiti; ſunt enim margaritæ, & gemmulæ quę exaltant operis excellentiam ſine eius difficultate & confuſione. Picturæ variorum colorum Regiones diuerſorum fructuum, Harmonia vocum diuerſarum placent, guſtant, ac oblectant. Talem vtilitatem benignè ac ſincerè accipias candide ac ſapiens Lector; in tuam enim grariam ſyncero animo hunc laborem ſuſcepi, non aliorum, quorum lex eſt voluntas, qui acquieſcere nolunt ei, quod illis gratis datur; licet multum valeat tempus, & grandem laborem, quem etiam grandiorem alias pro te benigne accipientem ſuſcipiam. Vale.

TABELLA CONSILIORVM



INDEX
RERVM NOTABILIVM
In Consilijs contentarum.

Apo-

B

Cali-

Ebu-

F

Her-

Jn-

Ma-

N

O

Officia-

Quar-

R

S

Vario-

FINIS.

2	26	ficae	L	ficca
4	7	gierę	L	hieræ
7	20	sextum	L	sextam
		verxebrum	L	vertebram
10	25	mædij	L	medij
15	12	artihriti	L	arthritis
16	13	iuditio	L	iudicio
20	3	in	L	ita
	23	spumem	L	spumea
23	8	orifiaijs	L	orificijs
	30	pharmatiam	L	pharmaciam
24	1	dimminutionem	L	diminutionem
26	3	tritatum	L	trita tùm
29	10	subiectam	L	subiectum
37	5	dimminutis	L	diminutis
	10	dimminutionem	L	diminutionem
40	8	pectantes	L	putantes
	10	proli	L	probi
41	1	diex	L	dies
	3	misi	L	mitterem
	30	ue	L	ne
45	2	fomentum	L	omentum
46	21	easa	L	causa
48	24	fouerg	L	foucæ
70	23	acidum	L	aridum
75	12	acidet	L	acidit
77	14	particulari	L	particularis
78	21	gallico	L	galica
69	30	sin	L	sint
97	7	sæbris	L	febris
98	4	dimminute	L	diminute
101	1	oligophonum	L	oligophorum
	6	farrum	L	ferrum
102	2	conctione	L	concoctione
103	7	efficatia	L	efficacia
	16	insipidem	L	iusipidem
104	25	constitutis	L	constituti
105	28	colllectionem	L	collectionem
106	4	sænio	L	senio
	8	sollicitudinem	L	solicitudinem
107	28	sæbris	L	febris
108	13	vt	L	vti
111	22	hebito	L	habito
112	27	pauperis	L	papaueris
120	11	partiuncula	L	portiuncula
121	29	corui	L	carui
123	3	terræ	L	terre
127	8	carnosam	L	carnosum.

CONSILIVM I.

DE CATALEPSI, SEV CATOCHO.



Obilis Vir annorum 40. nigri coloris, hæpatis calidioris, capitis caluitiem habentis, tribus ab hinc annis non assiduè, sed per temporis interualla cępit conqueri de repentina priuatione sensus & motus, cum mentis occupatione, in qua manet in eadem figura, quam habebat eo tempore, quo fuit correptus, in qua affectione tunc primum corripitur, quando in lite de re acquirēda versatur cum varijs cogitationibus, tunc enim superuenit hoc accidens modò per horam, modò per mediam durans, ac dum incipit moueri, mouetur motu inordinato, iactat brachia, ponit manus ad caput, obloquitur & vana dicit, tandem euadit affectus, bene intelligit & recordatur, verum conqueritur de capitis grauitate, de corporis debilitate, & desiderat auxilium, ante multos annos habuit vulnus in capite cum fractura cranij, & nunc gestat cicatricem.

Morbus tamq; virus lædit motus innatos corporis humani, interdum enim humectat, emollit & lubricat, aliquando exsiccat, cogit, & densat, vel tandem calefacit, attenuat, aperit, & fundit, quamuis natura secus; In capite nobilis patientis nostri reperitur morbus intemperies frigida & sicca appellatus, verum à vulnere preterito & à cogitationibus circa litem contractus, qui refrigerando, incrassando & densando ma-

gis posteriorem partem cerebri facit deprauatam imaginationem cum motu, exsiccando cogēdō, & densando reddit cum ipsomet motu abolitam, quæ abolita imaginatio cum motu ablato Catalepsis appellatur, non appellatur autem Caros, seu sopor, cum ipse sit sola imaginatio abolita, & magis circa anteriorem partem cerebri, musculis temporum affectis, & dependens ab intemperie frigida & humida; neq; dicitur lethargus cùm sit imminuta imaginatio cum ablatione rationis & memoriæ & cum febre, panniculis cerebri & aliquando cerebro affectis dependens ab intemperie frigida & humida; neq; nominatur Coma, quæ cum ipsa sit demersio, seu delatio in profundum somnum est diminuta imaginatio & cum desinat in somnum est sopor ipse; neq; tandem Apoplexiæ nomine donatur, quia in ipsa respiratio maximè læditur, & læsio est circa corpus cerebri, & si circa ventres, est etiam circa vtramq; partem anteriorem & prosteriorem. Hæc igitur Catalepsis cum sit duplex, alia vera & consummata; qua qui capiuntur non intelligunt, nec recordantur, & manent duri, quasi sint rigida corpora, alia est imperfecta & inchoacta, in qua ægri recordantur, & intelligunt, & ita duri non manent, Catalepsis, quam patitur patiens non est prima, sed postrema, quia intelligit vt in scheda & recordatur cuius causæ internæ & præcipue causa efficiens est intemperies frigida & sica, causa materialis est humor melancolicus, causa formalis est detentio mentis & corporis vt videatur Estasis, quibus causis auxiliantur causæ externæ, quæ sunt errores primò in aere nocturno,

no, & inæquali, deinde in cibo & potu sine ordine in quantitate, qualitate & modo vsus, postea in inanitione quia vsus est coitu plurimo, deinde in motu ex quo sequutum fuit vulnus in capite, tandem in animi accidentibus, quia circa litem de re propria cum mœrore versatur, quæ causæ obfuscant spiritus, tenent animũ, obtundunt ingenium, & cogenerant affectum, qui est acutus & periculosus, præsertim cum sit medius inter Phrænitidem & Lethargum, vt conuertatur ad alterutrum, at si debeat conuerti, vere conuertendum puto ad phænitidem, quia nobilis patiens incipit moueri motu inordinato, iactat brachia, ponit manus ad caput, obloquitur & vana dicit, vt in scheda, verum quoniam patiens bene intelligit, & recordatur, & fatetur se melius habere, arguere possum pro sanitate, pro qua intemperies est tollenda, materia est disoluenda, & quatenus est in copia reuellenda quatenus fluit repellenda, quatenus à corpore fluit purganda per totius corporis purgationem cum erit præparata, verùm istis indicationibus satisfaciendo à postrema indicatione est incipiendam quę pręstabũtur medicis instrumẽtis.

Ad Chirurgiam, missio sanguinis ex Vena Cæphalica & ætati & viribus ac morbo est neceſſaria, attinet enim ad totius corporis vacuationem; Pro autem reuulsione apertio hæmorrhoidum habet pręrogatiuam præsertim si antea fuerint retentæ, ac tandem fonticulus in coxa sinistra non erit inutilis, quæ omnia fiãt extra paroxismum; In paroxismo autem adhibeantur frictiones graues, ligaturæ, punctiones, vellicationes.

Ad pharmatiam, In paroxiſmo poſt frictiones, & alias operationes ad clyſteria acria deuenirem, inter quæ ſit tale. Sume fol: centauri manip. vnum, fol. ſennæ Vnc. mediam Colocinthidis drach. vnam, fol. maluæ manip., ex quibus omnibus debet fieri decoct. ſecundum artem, de quo poſtea ſumerem lib. vnam Gierę picræ Vnc. mediam ol. rutę, mellis roſ. ſol. an. Vnc. tres ſalis Vnc. vnam, & fit clyſter.

Poſt paroxiſmum ante ſectionem Venæ lenienda eſt aluus hac potione. R. ſyr. de polipodio compoſiti Vnc. tres, elletuarij lenit. vnam aquę fumiterrę q. ſuff. m. f. p. b. Vel his bolis R. fl. caſſię rec. ext., elletuarij lenit. an. drach. ſex. m. cum ſacharo f.b.

Pro præparatione qua vterer per quinque dies continuos, ſumerem fol. cuſcutæ, fumiterræ, boraginis, bugloſſæ, an. manip. vnum. m. f. decoctum, de quo ſumerem Vnc. quatuor ſyr de fumoterræ, de ſucco boraginis an. Vnc. vnam m.

Inter hanc præparationem ſecarem venam cephalicam, in fine hæmorrhoidas aperirem, ac tandem medicamentum leniens ſuperiori ſimile exhiberem; Cum non conueniant medicamenta purgantia, quia materia cum ſit cruda & rebellis non poſſit trahi ſine multa violentia, & magno periculo.

Pro repulſione conuenit Oxyrodinum quod tamen recipiat parce admodum, acetum, propter ſiccitatis periculum & permiſceatur oleum amigd. dul. oleo roſaceo quod erit tale ſumendo ol. roſ. compl. Vnc. tres, æmigd. dul. recent. Vnc. vnam, aceti Vnc. Vnam m.

Poſtre-

Postremo pro emendatione intemperiei, disolutione materię; & cerebri corroboratione sunt medicamenta interius assumenda vt conserua boraginis, buglosæ , Diambra; Theriaca, & inter meliora decoct. Salsæ & chinæ.

Exterius applicandæ sunt inunctiones ex oleo liliorum , camomelino amigdalarum dulcium, lotiones ex radicibus altheæ , stæchade serpillo ; Verum in eorum vsu est diligenter aduertendum , nè maior capitis siccitas introducatur.

His omnibus addenda est victus ratio , rationi causarum correspondens.

CONSILIVM II.

DE STVPORE LINGVÆ.

Matrona annorum sexaginta septem post multos labores , animi accidentia, multaq; incommoda , quibus & non pepercit, quæ & passa est in longo filij morbo, incidit in leue impedimentum linguæ , verum in dies adeò adauctum , vt deuenerit ad hoc vt male moueat linguam,& deterius vesperi quam mane, nũc etiam male mouet brachium sinistrum , & habet dolorem dorsi,per quem lapsis aliquibus horis cogitur extra lectum semper curua ambulare , cum ante annos eundem passa esset per vicem & semper recta mansiset, perseuerat nunc illa subita insignis faciei rubedo cum frontis sudore, citò tamen euadens, quam patiebatur ante triginta annos, & auxilium desiderat.

Affe-

Affectio Nobilem Matronam infeſtans eſt morbus particularis inſtrumentalis, in qua percipitur motus impeditus linguæ, & brachij ac interdum frigida eſt, nerui enim ad linguam, ad brachiumq; tendentes obſtruuntur, atq; me iudice ea eſt affectio, quę ſtupor nuncupatur à Galeno in 2. de loc.aff. cap.2. in quò ſtupore induci ſolet frigida diſpoſitio non in neruis dumtaxat, ſed in venis arterijs,carnibus,membranis, tunicis & cute,accidit autem omnibus illis dum hærent nō corpori toto ſed capiti tantum neruos tamen motiuos tribuentis dixi morbum eſſe particularem tùm quia eſt ſub morbo vniuerſali ſcilicet compoſitione, cum triplex ſit morbus vniuerſalis, intemperies ſcilicet,ſolutio continui,& mala compoſitio,tùm etiam quia occupat neruos tendentes ſolum ad linguam & ad brachiū; dixi inſtrumentalem quia morbus in mala compoſitione dicitur à Latinis Inſtrumentalis, à Græcis Organicùs, ab Arabibus offitialis. Stupor igitur accidit omnibus illis, non pro vt ſunt membra ſimplicia & ſimilia, ſed pro vt ſunt diſſimilia, compoſita, ſeu inſtrumentalia, ideſt pro vt ſunt poroſa, & quanta, in quantum ſunt poroſa accidit morbus in via oppilatio ſcilicet,in quantum vero ſunt quanta accidit elongatio, ideſt morbꝰs in quatititate, & vterq: appellatur ſtupor, cuius Cauſę aliæ ſunt antecedentes,aliæ primitiuæ, antecedentes, & præcipue: cauſa efficiens eſt intemperies frigida& humida inter ſextam, & ſeptimam colli vertebram exiſtens,quę facit oppilationem, & elongationem ſeptimæ coniugationis neruorum à cerebro orientium exeuntium à foramine inter ſexcum& ſeptimum

colli

colli ſpondilum qui in muſculos linguę diſtribuuntur, quę intemperies ibi reperitur per euaporationem ab vtero eleuatam, ibiq; terminatam, vt diuturnitas & doloris dorſi & ſubitę inſignis faciei rubedinis cum frontis ſudore declarat. Cauſa formalis eſt oppilatio neruorum, cauſa materialis eſt materia craſſa & lenta habens naturam etiam melancoliæ genita ab hæpate calidiori tamquã ab ipſius ſucci opifice, ab eodem expulſa per truncum Venæ cauæ ad venas renum in ſpinam dorſi deflexas, vnde dolor dorſi, per has ad vteri venas à quibus verſa, ſpurcitiæq; vteri coniuncta verum ab expultrice facultate Vteri expulſa per eaſdem vias retrograditur conſcendens ad renum venas primùm, vnde dolor dorſi ita magnus vt per eius aſcenſus diuturnitatem addatur curuitas, deinde per ſeptum tranſuerſum ad venas ſurſum, vnde rubedo faciei cum frontis ſudore, citò tamen euadens, quia talis materia ibi non immoratur, partim ob eius grauitatem, partimq; ob capitis expultricem facultatem; tandem ad venas ſurſum propè iugulum inter ſextum colli vertebrum in illa foramina inſinuantes. ad caput vſq. extollitur, ex quarum venarum orificijs transfunditur ad neruos ſeptimę coniugationis à cerebro orientes in muſculos linguæ diſtributos, quiq. ad alios cominus ad brachiũ peruenerunt, vnde Linguæ, brachijq. ſtupor; Cauſæ primitiuæ ſunt errata in aliquibus rebus non naturalibus facta, ac primo in aere, corpus enim ſuum expoſuit aeri nocturno, radijſq. ſolaribus; In motu immoderato, namq. ſe exercuit in operibus domeſticis; in cibo & potu quia omnia genera ciborum edit, ac vina

genero-

generosa potauit; in accidentibus animi, quia fuit varijs affecta molestijs; ac tandem in inanitione quia est viro in matrimonium iuncta, coitum forsitã exercuit, quæ errata auxiliantur causis inrernis, immo erigunt causas internas stuporem efficientes, qui differt solum magnitudine à paralysi, quæ aufert omnino sensum & motum, stupor autem minuit, vnde solum differunt secundum magis & minus non autem spetie etiam ex Galeno in primo de simp. causis cap. 5. hic igitur stupor nisi citius curetur ducit ad paralysim, nunciat apoplexiam, & præsertim in patiente ętatem habente decrepitam, qui incurabilis redditur, verum quoniam est ita malus nuncius, non est certè solo prognostico relinqueudus, sed penitus mitigandus. Materia igitur à qua dependet affectus est auferenda & discutienda, nè vero augeatur fluxio, quam discutientia possunt sua attractione, ac dilatatione augere prius est reuellenda, sed reuulsio non potest fieri in corpore humorib⁹ referto, ideo prius totum corpus est purgandum, & vltimo loco caput corroborandum, quę omnia triplici instrumento præstabuntur.

Ad Chirurgiam quod artinet plenitudo siue boni succi, quę dicitur plethora siue mali succi quę appellatur Cachochymia indicat missionem sanguinis, quæ nunquam prætermittitur ratione morbi, qui sit frigidus, neq. ratione causæ, quę sit frigida, dixit enim Galenus in 6. de comp. med. secund. loc. cap. 1. quando corpus fuerit plethoricum aut cacochymum statim vtimur venę sectione, purgatione, clysteribus, & inedia & in lib. de cur. ratione per sang. miss. cap. 13. quod pleni-

plenitudo crudorum humorum nunquam est tanta, vt venæ sectionem prohibere possit, quæ si autem prętermittatur, solum prętermittitur ratione virium, quę in morbo contumaci, difficili & diuturno non possent ad statum sufficere, quemadmodum nunc ratione virium prętermittetur, quę in hac ætate decrementi non sufficiunt; Duo Cauteria, quorum alterum gestat in coxa dextera, alterum in brachio sinistro sunt optima, cum per illud tamquam per emissaria materia quę ab vtero, & ab hępate ascendit, exhauriatur, per hoc materia à capite deflectetur; nunc deuenirem ad rubificantia, ad frictionem scilicet sextę & septimæ vertebræ colli, in quibus est origo mali cum euphorbio, nitro, sulphure, & thapsia, tales enim pulueres diligentissime conterantur & affricantur partibus dictis; & vt attrahatur spiritus, & calor naturalis ad locum illũ applicarẽ ventosam super vertebras cum multo igne, suctione forti & laboriosa, sine tamen scarificatione, & remouerem velociter, vt non resoluatur, quod attractum est per eam; post vero remotionem ventosę vterer super locum ventosatum emplastro facto ex pice & gutta pini, vt pars retineat quod attractum est. Cauterium fieri debet in occipite inter primam & secundam colli vertebram post tamen vniuersalem euacuationem, postq; prædicta remedia non proficientia.

Ad pharmatiá quod attinet, oportet lenire aluum, verum est cauendum à cassia, potest enim partes refrigerare, humectare & laxare, inter alia optima sunt aloe, hiera simplex, Alœphanginæ pilulæ, quæ ab humoribus crassis Ventriculum & Cerebrum purgant;

materia cruda est præparanda, & meatus aperiendi; quod efficiunt syrupus de betonica, de sthæcade, de epithymo, de pomis, in quibus sit regula vt à debilibus & gradatim fiat processus ad fortiora, non omittēdo illud decoctum quod est Galeno attributum in dynamidijs factum cum vino ex fol. saluiæ, satureiæ, dictami, sabinæ, mentæ nigræ, apij, foliorum teneræ lauri, quinque folij, betonicæ, vtriusq; Centaureæ, Artanitę, agrimoniæ, pimpinellæ, artemisię, chamedryos, hiperici, millefolij, mellissę, pulegij, trifolij, hypocystidos, hisopi, prasij, Origani ad manip. vnum. Concocta materia est purganda cum pillulis de sagapeno, & fætidis, de opoponace primum, deinde cum hiera picra, Pachij, Logodij, Hermetis, tandem cum hiera diacolocynthidos; est deinde materia, quæ fluit ad vertebras reuellenda per vomitum, per clysteria, per vrinam, & per sudorem; per vomitum cum expressione raffani, in quo sit virtus ellebori nigri, hoc vtetervomitiuo in æstate, quia in ea facilior fit vomitus, in hyeme vero alio mediocri verum omni tempore cū cibis, per clysteria, quæ sint acria talia autem conficiuntur ex decocto centaureæ minoris, colocynthidis, & ex hiera, vt inclinetur materia ad inferiora, per vrinā cum decocto vnius Vnciæ cicerum rubeorum, manipuli mædij radicis asparagi, rusci, ac graminis atq; corticis radicis lauri, drachmę medię spicę, de quo vnciæ sex summo mane exhibeantur; Per sudorem cū medicamento humores digerente, meatusq; rarefaciente, ac totum corpus penetrante, quod medicamētum erit sal Theriacalis, vel trochiscus de vipera, ex

quorum

quorum altero exhibetur mane ad drachmam vnam, facto bolo cum aliquo medicamento discutiente, veluti cum succo agrimoniæ; Post reuulsionem deueniendum est ad ablationem & discussionem materię; quę est capitis purgatio, quæ fit medicamentis externis & internis; externa erunt lotiones, stillicidia, inunctiones, & emplastra; Lotiones & stillicidia debent fieri ex aquis thermalibus patauinis ad caput & ad collum laborantem per horam mane stomaco ieiuno; inunctiones sunt vel simplices, quæ vsurpantur tantum ex oleis in caliditate intensis vt ex oleo costino, vulpino & alijs, vel compositæ, quas componerem ex Vncia vna olei vulpini, similiter camomęlini, castorei pulverizati Vnc. vna & media in mortario plumbeo, quæ omnes inunctiones applicantur occipiti; Emplastra conficerem ex piperis, sem. rutæ siluestris pyrethri an. drach. vna & semis, euphorbij, castorei an. drach. vna, resinæ, picis an. Vnc. vna & s.; Interna autem medicamenta erunt errhina, gargarismata, & alia, errhina acciperem, non quæ liquida sed quæ tenuia sunt, inter quæ est puluis ex strucio quo lanarij vtuntur ad faciendam lanam pulchram, quem puluerem insufflare in nares, quia confortat cerebrum, & conuertit materiam ad partem nasi. Gargarismata quę fiunt ex hiera Archigenis cum aceto scilitico dissoluta multum approbo.

Pro lenitione linguæ & palati illud medicamentum ex mitridaticæ confectionis drach. vna, Castorei pulverizati scrup. vno est bonum; cōfectio anacardina est melius, dum ex ea drach. duę mane deglutiantur ie-

iuno stomaco est optimum, confortat enim cerebrum & neruos, prouocat sudorem, & insensibiliter euacuat, quæ demùm omnia præstat decoctum chinæ, salsę, & ligni sācti cū herbis caput respicientibus in iure pulli.

His omnibus victus ratio adiungi debet, quę non solum consistit in cibo & potu, sed in regimine omnium sex rerum nō naturalium, dicente Galeno in com. 3. in 3. de morbis vulgaribus 9. in qua aer elligatur calidus & siccus, pro cibo sint carnes pullorum, gallorū, columborum, perdicum, fasianorum, vitelli ouorū, alea cocta, cum non adsit febris herbæ fæniculi, petroselini, & boraginis in cibarijs vtatur speciebus quæ fiunt sic Rec. piperis Vnc. duas, gingiberis Vnc. sem. cardamomi, piperis longi, cinamomi, zedoariæ an. drach. vnam, spicæ, macis, croci an. scrup. vnum terantur pro speciebus in fine comestionis sint grana pinearum magnarum; pro potu in hac ætate decrepita conceditur vinum in pauca quantitate, & aliquando ordinatur Iulep, sic fit Rec. aq. iuæ, maioranæ, saluiæ an. Vnc. duas, mellis, vel sachari drach. duas & scrup. duos m. f. iulep. clarificatum, in quod infundatur parum cinnamomi puluerizati. Pro inanitione, & repletione ieiunium & fames adhibeantur; Pro motu & quiete eligatur motus, & exerceatur corpus, nisi poterit fiant frictiones in extremitatibus super dorso; Pro somno & Vigilia parum dormiat. Pro animi accidentibus conuenit ira, furor, & alteratio cum verbis, sic enim exsiccatur flegma, & excitatur colera, quæ calefacit partes. Hęc sint dicta si non pro refectione, saltem pro curatione ad honorem Dei Omnipotentis.

CON-

CONSILIVM III.

DE CATARRHO, ARTHRITIDE, GONORRHEA ET FEBRE.

DIfficile, arduum, aſperumq; eſt illud iter, quod ad vlteriorem ætatem, ac ſanitatem perducit, via enim eſt longiſſima pluribus terraq;, mariq; plena laboribus, Viri Excellentiſs., quicumq; enim aggreditur hoc iter ſiue terra, ſiue mari inueniet diuerſa incommoda, ſi mare nauiget ſtatim inter fluctus, ideſt inter humores, pituitam & bilem tamquã inter ſcyllam, & charibdim iactatur, ſi terra iter agat continuo tria monſtra ſe ſe ei obijciunt, alterum eſt terrena Venus, ſecundum Bacchus & Ceres, tertium nocturna Hecate, eſt Venus ideſt Venereus coitus, qui ſi vires exceſſerit exhaurit vires, debilitat cerebrum, labefectat ſtomacum, & præcordia, vnde Auicenna dixit, ſi quid ſpermatis pluſquam natura tolerat coitu profluit, obeſſe magis, quam ſi quadragies tantundẽ ſanguinis emanauerit; ſecundum eſt vini, cibiq; ſatietas, vinum ſi nimium, aut nimis calidum aut vehemẽs fuerit, implebit caput humoribus, & peſſimis fumis; cibus ſi erit nimius primum quidem ad ſtomacum in ipſo coquendo omnem vim naturæ reuocat, deinde imperfectè coctus varijs malis vaporibus contundit facultatem coctricem cerebri; Tertium eſt nocturna Hecate ideſt per multam noctem poſt cœnam vigilare, vnde cogatur poſt ortũ ſolis dormire, quod obtenebrat ſpiritus & implet caput. Hoc idem contingit

patienti

patienti nostro admodum Reuerendo 45. annum agenti, rubeum habenti colorem, biliosumq; temperamentum, qui aggrediens iter ad vlteriorem ętatem & perfectiorem sanitatem nauigauit mare, vnde statim inter fluctus idest inter pituitam & bilem iactatus fuit, & volens fugere aliquando scyllam, aliquando charybdim incidit in vtraq;, vnde gonorrhęa primum & calor renum, deinde scabies, postea febris, vnde catarrhus, tandem dolor articularis, incidit in bilę, quia patiens habet Iecur calidum vt patet ex venarum latitudine, sic dicente Galeno in lib. artis med. cap. 37. caliditas vero iecoris generat maxima excrementa, ipsaq; adurit & expellit per venam cauam, quorum pars fluit per vasa seminaria, eaq; sui acrimonia relaxat, quæ relaxata non possunt retinere semen, vnde fit excretio seminis inuoluntaria, quæ gonorrhæa dicitur, alia pars excrementorum fluit per renes; vnde fit dolor renum, eorumq; calor, alia pars per truncum venæ cauæ, deinde per venas medias, postea per venas capillares, tandem ad cutem & propter illam acrimoniam fit scabies; Verum quoniam aliqua pars istorum excrementorum non potuit fluere, nec caliditas potuit expellere, ideo sistens extra locũ suum putrescit, putredo autem petit Cor, ibiq; accenditur calor putredinis & statim ab ipso per totum corpus diffunditur, & sic febris, incidit in pituitam caliditas scilicet hæpatis semper debilitat stomacum, quatenus consumit humidum radicale caloris naturalis stomaci, in quo consistit eius vis & fortitudo, à stomaco debilitato cerebrum attrahit pituitam, quæ sui præsentia

tia debilitat eius facultatem coctricem, adeo vt à cerebro non possit regulari; vnde fit fluxio pituitę, idest catarrhus; sed quoniam septem sunt viæ per quas pituita, quæ fluit à capite .. cogitur fluere aliquando per omnes, aliquando per aliquas, vt ait Hip, in lib. de glandulis, quæ viæ sunt, aures, nares, oculi, palatum, pectus, spinalis medulla, & venæ, pituita fluxit per oculos vnde rubedo, per aures vnde tinnitus, per nates vnde κορύζα à gręcis, à Latinis grauedo, per palatum vnde expuitio, per pectus vnde expiratio male olens, per spinalem medullam vnde dolor dorsi, per venas vnde arthriti & febris; istæ autem materiæ bilis scilicet & pituita ad generandam febrem coniunguntur, quæ febris seruat ordinem duplicis tertianę nothę continuę; Verum quoniam video patientem primò habẽtem Gonorrheam deinde dolorem articularem cum quo perseuerante tandem febrem neccesse est fecisse hoc iter non solum mari, sed etiam terra, cumq. inuenisse illa tria monstra Venerem scilicet, Baccum & Cererem, & nocturnam Hecatem, & ego suspicor eum fecisse maximum certamen cum Venere, cum alijs autem ego certissimus sum, si verò erit certamẽ cum Venere, Venus fuit illa, quæ debilitauit cerebrum, labefactauit stomacum, & impleuit articulos pituitæ cum quadam venenositate; pugnauit cum altero monstro Bacco & Cerere, potauit vinum album & generosum, edit olera acria, aromatica, quæ omnia implent caput diuersis malis fumis, reuocant vim naturę, contundũt facultatem coctricem cerebri, augent calorem hępatis; huic accidit alterum monstrum nocturna Hecate,

idest

idest vigilare per multam noctem post cœnam, vnde cogitur dormire post ortum solis, quod quidem implet caput, & cum alijs auget & nutrit omnia mala, at in longissimo itinere aer inuenitur inæqualis, ad aerem eundem inæqualem etiam se se exposuit, quare patiens est in itinere maris difficili, angusto & aspero, in quo sunt naufragia, est scilicet in rebus præter naturam, patiturq. morbum causas internas habentem, varijs cum symptomatibus cōiunctum cuius non certa est pronunciatio; in quo itinere duo sunt vocandi Anchorarius à Chirurgia, Nauicularius à pharmacia, & dieta, vt ille sua Anchora nauem firmet, hic suo imperio, & iuditio omnia regat; dolor scilicet in primis est remouendus materia vtraq. quo ad quantitatem minuenda, quo ad qualitatē alteranda, pro purgatione est concoquenda, deinde purganda postea dissipāda, tandem partes corroborandæ, quæ consequuntur tribus generib⁹ operationum, Chirurgia scilicet pharmatia, & dieta; Fuit etiam in itinere terræ, in quo adsunt tria monstra, idest fuit in rebus non naturalibus, in quibus commisit errata, vnde Apollo ab Æthere, Neptunus ab æquore, Hercules à terra sunt vocandi, vt monstra sanitati & ætati inimica Apollo iaculis transfigat, Neptunus tridente domet, Hercules claua contundat & laceret, omnia errata sunt corrigenda. Quātum ad Anchorarium, ad Chirurgiam scilicet in principio ante purgationem Venam communem dexteri brachij secarem, at si patiens præ timore renuit sectionem, aperire venas hæmorrhoidales nō erit absonum; non erit inutile cauterium in coxa sinistra factum &

aper-

apertum diu seruatum, eo enim foramine humores mali, qui neruosas corporis partes occupant ad exteriora conducentur, & euacuabuntur auctore Galeno lib. 6. Epidemiorum. Quantum ad nauicularium scilicet ad pharmaciam pro lenitione, quę in principio est adhibēda, darem fl. cassię rec. ext. drach. decem, pul. liquiritię drach. vnam in forma boli, vel in forma potionis syr. ros. sol. , de polipodio comp. an. Vnc. duas, ellectuarij lenit. vnc. ss. cū decoct: cord:, materia, quę digerenda cum sit mixta, miscenda sunt etiam medicamenta eandem digerentia sumendo pro iure pulli alterando fol. nenupharis, endiuiæ, saluię, apij & parietariæ, quorum alia ęquant bilem vt fol. nenupharis, in capite tamen, in hepate & renibus, endiuię in hepate & iuncturis, alia concoquunt pituitam, vt fol. saluię, sed in capite & iuncturis apij in hepate, parietarię in renibus, huius decoct. bibun. Vnc. quinque, simulq. Vnc. media & syr. acet. simp. & Oximel. simp. donec erit concocta materia eo facto vt aluus quotidie paulùm moueatur, concoctam purgarem medicamento, cuius cōpositio est huiusmodi, sume mirabolanorum citrinorum drach. tres, agarici drach. mediam ad infusionem in sufficienti quantitate aquæ cichorei, & facta collatura adderem syr. ros. sol. Vnc. tres, diacath. drach. duas pro potu, sed si iterata & vlteriori purgatione indigebit pararem hoc modo medicamentum quod hermodatilata appellatur.

Rec. hermodatilorum, turbit singulorum Vnc. vnā, gingiberis drachmas sex, diagridij drachmas quatuor, sachari albi vnciam vnam, huius medicamenti darem

C drach.

drach. vnã,cum dimidia salis tartari in iure pulli alterato ex fol. apij,capil. Veneris, cicoreæ,endiuiæ, post tamen hanc decoct. quam probo faciendã ex fol. apij, capil. Veneris, qninq. folij,iuæ; vbi sic purgata fuerit materia quia semper aliquę reliquiæ remanent sunt illę penitus extingnendę & dissipandæ medicamentis discutientibus, quę partim intus, partim extra sunt administranda,intus in vsu est decoct. salsę,ligni sancti, cui miscentur herbę articulos respicientes; exterius applicarem emplastrum factum ex vrticis cõtusis aceto aspersis; exsiccat enim resoluit, & confortat. Ne fiat tandem generatio materię dolorem facientis partes nutritiuę sunt corroborãdę hoc ellectuario cuius talis est compositio; sume saluię minutissimè incisę non contusę lib. mediam, decoquatur in melle, facta sufficienti decoctione infundatur specierum aromatici rosati, diatrium sandalorum sine camphora, singularum vnc. media & bulliat quòvsq. perueniat ad formam elletuarij,de quo darem manè drach. vnam ante cibum per tres horas dummodo his omnibus victus ratio correspondeat.

Quo ad Apollinem patiens abstineat à coitu; quo ad Neptunum à vino generoso,ab acribus, ab aromatibus,à laticinijs, à leguminibus; quo ad Herculem à somno meridiano;nos vero videbimus sic anchorariũ sua firmare anchora,Nauicularium suo imperio regere, Apollinem iaculis transfigere, Neptunum tridente domare, Herculem claua contundere, & lacerare pro salute huius admodum Reuerendi, quam Deus Omnipotens fortunet, & donet.

CON-

CONSILIVM IV.

DE MORBIS COLLI, FEBRE ET ARTHRITIDE.

NObilis Vir annorum 58. habitus biliosi cum sanguinei subdominio post vsum Venereum cum mnliere lue galica infecta inter alia mala incidit in dolorem policis pedis dexteri, qui post diuturnitatem per multa tandem medicamenta euasit; perdurauit autem sanus vsq; ad quartum annum tempore æstatis, quo tunc primum incidit in dysenteriam quatuordecim dierum spatio perdurantem, sed medicamentis dimotam; deinde cæpit conqueri de dolore verticis capitis ad occiput tendente primum, deinde colli, verùm à manu contractante non exacerbato, sed mentum pectori parum flectente, ac occiput immobile reddente, quo vigente superuenit febris de tertio in tertium inuadens cum dolore in articulis & copioso sputo tenuis materiæ, queritq; auxilium.

Mundus à Deo informatus cuius vastissima moles conclusa perfectissimæ figuræ, diuersissima varietas cælestium, & elementarium, elegantissimus ordo, magnificentissimarum specierum, vetustissimus consensus venustissimarum rerum, firmissimum robur exactissimæ absolutionis splendet, ac cum ineffabili omnium harmonia nitet, cõtinet, amplectitur, & stringit materiam primam, formam, elementa, metalla, mare, Vrbes, domos, & Animalia, Rorẽ, pruinam, nebulam, nubes, ventos, Pluuiam, niuem, grandinem, Tonitrum, corruscationem, Fulmen, Cometas, & reli-

qua ignita meteora, errantesq; Stellas, & fixas, circulos Sphęrę, imagines Globi, & primum mobile sicut à Deo hæc omnia informantur, in hæc omnia Deus suspēdit, permittit & regit. Homo ab anima informatus ipsamet omnia continet; Continet enim materiam primam & formam in intellectu, intellectus enim per se nudus dum omnibus intelligibilibus induitur continet materiam, dum induit formam; stringit elementa in capite, in caluaria terram, in dura matre aquam, in pia matre aerē, & in cerebro ignē; vel si mauis in gustu & tactu terram, in oculis aquam, in auribus aerem, & in naribus ignem; metalla vigent in humoribus, ferrum in humore nigro, cuprum in æruginoso, aurum in flauo, argentum in albo, stamnum in palido, plumbum in liuido. Mare adest in cerebro spargente riuulos in sinibus; Vrbes & domus spectantur in tuberculis ventriculorum cerebri. Siluæ sunt pili; Feræ pediculi, alia animalia sunt vermes, quę innascuntur in diuersis partibus; In excrementis sunt meteora, Ros enim sunt lacrimæ, Pruina materia detenta in maiore angulo oculi; Nebula tetri vapores visum obscurantes; Nubes anfractus cerebri; Venti aurium tinnitus; Pluuia coriza; Nix spumen saliua, grando pituita conglobata, Tonitrus sternutatio, Fulgur oculorum corruscatio; Fulmē venenatus aspectus; Cometæ Tubercula, & reliqua ignita meteora sunt rubores in facie; Amplectitur stellas errantes in massa sanguinea, Saturnum in sanguine melācolico, Iouem in temperato, Martem in bilioso, Solem in calore natiuo, Venerem in pituitoso, Mercurium in ore & lingua; & Lunam in humido primige-

migeneo;etiam fixas quæ sunt moles & magnitudo cerebri discecta & compressa,Circuli Spheræ,& Imagines Globi sunt structura cerebri, Primum mobile est motus cerebri cõtinuus à facultate pulsatiua causatus. hæc omnia informat anima, & hæc omnia suspendit, permittit & regit anima ad contemplabilia tamẽ elata & medicina imbuta; Talis anima est medicus rationalis,qui si habeat suspendere, permittere, & regere in hoc egregio Viro sunt suspendenda, permittenda,& regenda elementa in capite, metalla in humoribus, stellæ errantes in massa sanguinea, meteora in excrementis; illa enim debilitant cerebrum, labefectant stomachum,& implẽt articulos pituitæ, vnde generarunt primùm dysenteriam,deinde dolorem verticis capitis,& colli,tandem febrem & arthritidem.

De dysenteria non erit sermo cum iam sit ablata,sed de alijs dicamus.Dolor igitùr dictus à Galeno labor. in lib. de rat. vict. in morb. acut. com. 2. & ab Hipp. nocumentum, seu lesio 2. Aphor. aphor. primo dum est in capite veluti alicuius rei pungentis vnde sic est in eius membranis; interdum est veluti alicuius rei extẽdentis,ac ita est in eius venis,& arterijs, verùm nũquã pertingit ad radices oculorum ac ita est extra craniũ, semperq. dolor est ita profundus, vt à manu contrectante non exacerbatur dolor,vnde tandem est in pericranio. Talis in collo etiam reperitur quia ibi est morbus pungẽs & extendens eius causa,qui est duplex alter est indeterminans sibi certam sedem, & communis, alter proprius colli;particularis morbus sibi collũ tamquam certam sedem determinans primus est Intempe-

temperies frigida&humida colli, quæ est doloris causa efficiens, causa vero materialis est materia diuersa, causa formalis tãdem est passio dolorosa motum colli impediens causę omnes doloris internę. Alter autẽ morbus particularis colli, & est motus colli impeditus, impeditur autem motus cum caput scapulis annectitur, tale impedimentum dicitur opistotonos, vel cum mẽtum pectori, tunc dicitur emprostotonos, vel tandem cum immobilis ceruix manet & appellatur Tetanus; Impedimentum emprostotonos dictum est præsens motus colli impeditus, cum pectori flectatur mẽtum, & quamuis cum eo Opistotonos & Tetanus communiter neruorum conuulsio dicantur, præsens tamen nõ est conuulsio propria, sed analoga, quatenus scilicet habet quandam similitudinem cum conuulsione, & est antecedens causa efficiens, formalis autem est immobilitas occipitis, materialis est materia diuersa.
Causæ autem primitiuæ sunt errores in sex rebus non naturalibus, quorum primus est in aere, in quo corpus suum exposuit radijs solaribus; in cibo quia omnia genera ciborum edit, in potu quia vina generosa potauit; in inanitione quia vsus est coitu intempestiuo, qui errores labefactant stomachum, fouent vapores, excitant auram gallicam, quam annis præteritis (vt fertur) patiens acquisiuit, quæ nunc aura primò incæpit ab hepate in intestina, vnde dysenteriam genuit, deinde illa derelinquens spirauit in collum, vnde dolorem cum motu impedito, magisq́. vagãdo accidit tum bili genitæ ab hepatis caliditate, eamq́. pellit per partes sentientes, vnde generat febrem de tertio in tertium inua-

inuadentem, tùm pituitæ cum bile mixtæ ab hepate lue infecto genitę propellit per venas ad caput vitiatq. eius coctionem, vnde materia à capite non regulata precipitatur partim ad os per vias latas, vnde sputum, partim ad articulos non quidem per carnem subtus cutem vt ait Fernelius, sed per venas maiores primum, deinde medias, postea per venas capillares, ex quarum orifitijs exit ad articulos vnde Arthritis; quare errores fouent causas internas & cōgenerant hos affectus, qui curabiles quidem sunt sed non facile & breuiter, imò cum difficultate & tarde; in qua curatione cum sit materia & aptitudo membri recipientis, materia est tollenda, & membrum corroborandum, Verùm cum materia sit duplex fluens & fluxa, ideo fluens est intercipienda reuellentibus & deriuantibus, fluxa post præparationem, quæ debet fieri attenuantibus, incidentibus & detergentibus & alterantibus est tollenda, inter quæ omnia tanto tempore differrem quantum ad ablationem febris videbitur fore satis, facerem enim curationem febris & non omitterem aliam doloris colli & articulorum, quam propinarem medicis instrumentis.

Ad Chyrurgiam quod attinet, quamuis propter diuturnitatem morbi vires non sunt validæ, ac varijs modis facta fuit sanguinis missio, hanc tamen non omitterem, saltem ex venis sedalibus, à quibus etiam fit vniuersalis euacuatio, & licet gestet funticulum in coxa dextera, alterum tamen in bracchio sinistro inducerem.

Quo ad pharmatiam, Cassia per se sola pro lenitione

ne

ne &c præparatione sępe iterata vsq. ad dimminutionē febris primum, deinde cum hiera vterer, quę purgando deriuat ac cum sanguinis missione reuellit à capite & ab articulis. Pro materia fluente vehementer sunt reuellentia vt sanguinis missio ex vena recta in fronte, reuulsio enim fit ad contraria loca, vt in longitudine supra & infra in latitudine hinc & inde, hoc est à dexteris & à sinistris, in altitudine retro &c ante vt ait Gal. in lib. de humoribus com. 1. 13. acria clysteria etiam sunt reuellentia, quæ absq. febre sunt in vsu ex quorum compositione, acciperem fol. betarum, cētauri minoris singulorum manip. vnum, pulpæ colocyntidis drachmam vnam & mediam, ex eorum facta decoctione libram vnam, hierę compositę drachmam vnam, mel. rosati, olei camomęlini singulorum vncias tres; talia autem reuellētia in principio adhibentur. Pro materia leniter fluente sunt deriuantia ad loca vicina vt ait Galenus in lib. de humoribus Hipp. com. 1. 13. quæ nunc erunt ad nares & errhina appellantur, ad os, quæ dentibus manduntur & apophlematismi seu masticatoria dicuntur, errhina alia sunt liquida, alia solida, alia demum tenuia, liquida vt succus betæ, hędetę, cucumeris agrestis, decoctum maioranæ, & similium, solida vt cortices aurantij, radix hederę, hellebori, tenuia vt pulueres ex synapi, pyrethro hęc per nares attrahuntur, in nares ponuntur & insuflantur. Apophlegmatismi sunt mastix, radix pyrethri, staphysagria, piper & alia huiusmodi, quæ in ore detenta & masticata pręclare de capite pituitam trahunt; hæc autem deriuantia in omni tempore morbi administrā-

tur

tur etiam dum præparantur humores. Præpararem autem humores cum syr. de stæchade, bisantino, oximellit simplici & cum iure alterato ex fol. endiuiæ, lactucæ, saluiæ, & iuæ; sic enim præparati ad purgationem magis idonei redduntur, pro qua purgatione darem drach. vnam pilularum fætidarum, quę euacuant pituitam crassam & crudam & conferunt dolori spinæ & iuncturarum, mediam dragmam pilularum aggregatiuarum, quę educunt humores biliosos, & pituitosos & conferunr ad diuturnas febres & vitia capitis cum syr. de stæchade pilulas formarem, quas bis & sæpius repeterem, vt tollerem materiam qualitati galicæ subiectam, quam cum eadem vna qualitate auferem primum quidem ellectuario ligni sancti, tandem eiusdem decocto. ellectuarium autem est tale, recipe salsæ periliæ puluerizatę Vnc. quatuor corticum ligni sancti vnc. vnam & mediam, sennæ puluerizatæ drach. sex cinamomi drach. quatuor mellis spumati libram vnam, misce secundum artem & fac ellectuarium, cuius quantitas pro vice sit Vnc. vna, decoctum vero eiusdem ligni non simplex, sed compositum ex salsa approbo vt eius vim augerem ac diuersis membris succurrerem propter quas res inuenio compositum fieri; Theriaca etiam confert & pilula facta ex drach. vna salis theriacalis ac scrupulo vno iuæ arth. cum oximelle scillitico.

Membris tandem recipientibus remedia imponéda sunt lenientia, discutientia, ac adstringentia, præsertim circa principium, quare aceto cum oleo rosacco membra rigare oportet, cum dolor consistat

D in

in alto, si vero in superficie vino & oleo, verum post principium discutientia & exsiccantia solum, qualia sunt folia altheæ cocta triratum per se, tum farina ordei, inter alia fomenta hoc factum ex pulueribus iuæ pulegij, calamenthi camomillæ, mellilori in saculo applicatis auxilium affert; fomentum Arnaldi ex fillo canabino aut stupeo in lixiuia cocto calide applicato est quam maxime vtile. His omnibus victus ratio est addenda, in qua aer sit moderate siccus, in actiuis qualitatibus temperatus; cibus crassus, humidus, durus & difficilis coctionis erit fugiendus, copia boni vitanda, nullum vini genus conuenit in principio morbi, sed solũ in declinatione facti tamen ex materia frigida, tale vinum sit flauum, & subtile, inanitio iuuat præterquam facta ex Venere, quæ articulos debiliores reddit, & magnam humorum copiam ad eos perducit; omne exercitationum genus nocet præterquam in declinatione morbi; somnus & vigilia si sint immoderata ledunt; omnis tandem vehemens animi passio vitanda; sic enim elementa meralla, stellæ errantes & meteora suspenduntur permittuntur, & reguntur ab anima medicina imbuta Deum Optimũ Maximũ verarum medicinarum largitorẽ implorãte.

CONSILIVM V.

DE VLCERE IN OCVLO SINISTRO.

NObilis Matrona annorum 40. fusci coloris, hepatis calidioris, cum sit viro lue gallica infecto per aliquos annos in matrimonium iuncta cæpit conqueri de

ri de capitis dolore grauatiuo,& de punctura in oculo sinistro, quæ statim cessauit,quando apparuit albedo in nigredine,& rubedo in albedine oculi, tunc enim primum cæpit diminute videre, euasit tandem ab oculo affectio post ad hibita medicamenta; Verùm cũ ante quatuor annos alter viro se in matrimoniũ iunxerit, post duos annos cœpit conqueri de illa eadem in oculo affectione, verùm magis adaucta sine tamen dolore, nunquam vtero gestauit, habet menses suis temperibus nullam noxam in reliquis operationibus obseruans, quare auxilium desiderat.

Quicumque volens oculorum curam habere, habet eorum naturam cognoscere, quia vnumquodq. membrum infirmum ideo curatur, quia conuertitur ad naturam propriæ sanitatis; qui vult oculorum naturam cognoscere intelligat partes, quibus constituti sunt oculi,& cognoscat eorum operationes, quoniã nunc agitur de cura oculorum loquar de partibus,quibus constituti sunt oculi, & postea ad curationem accedam. Quantum igitur ad primum oculus constituitur ex tribus humoribus& quatuor tunicis humores sunt cristallinus situs in medio duorum humorum vitrei scilicet& albuginei,albugineus in anteriori, vitreus in posteriori parte situs, sed superans cristallinũ quadruplo albugineum duplo,ne autem fluerẽt,sunt inclusi tunicis quatuor vt ait Gal. lib. de anatomai oculorum,quarum altera tunica,quæ est magis externa ac visui primo occurrit est coniunctiua adnata & supertensa tunicæ corneæ vt cuticula veræ cuti initiũ sumens à perycranio,seù à peryostio imediate,princi-

paliter vero à dura matre per suturas egressa vna pe-rycranium constituente vt ait Gal. x. de vsu part. cap. 3 & 7. quæ sequitur dicitur cornea, & ab Aristotele 5. de generatione animalium cap. primo cutis oculi, dicitur cornea; dum circundat oculum in anteriori parte, in posteriori illa eadem nominatur sclerotica, ortaq. tota à dura matre; Tertia cuius anrerior facies, quæ est secundum pupillam, nominatur uuea, posterior vero choroydis, hoc est secundina vna tamen eadem essentialiter est trahens originem à pia matre; Postrema tandem tunica nominatur aranea quatenus est secundum anteriorem partem totum crystallinũ circumambiens, hęc autem tenet crystallinum ab humore albugineo separatum, hæc autem eadem circumuestiens secundum posteriorem partem tenensq; crystallinum à vitreo separatum appellatur retina & tota sumit initium à medulari substantia nerui optici; Ab humore crystallino solum modo fit visio, alij humores & tunicæ sunt solum propter custodiam & iuuamentum visus; oculus igitur ita constiturus quãdo est in capite subiecto repletionibus eidem pati cõtingit diuersas ægritudines, quia de capite tamquam de membro principali natura habet maximam solicitudinem, ideoq. expellit humorem ipsum implentem, qui ex pulsus si fluet ad oculi membranas latentes & occultas post crystallinum ad scliroticam scilicet secundinam, retinam & ad araneam inter crystallinum & albugineum humorem cœlatam facit diuersas ægritudines, quatum & notitia est obscura, & significationes sunt intellectuali inuestigatione contẽ-

pla-

plabiles, vt ait Gal. in lib. de oculis particula 3. cap. 8. at si progrediendo penetret in vueam facit & egressionem vueę quatuor modis egredientem, & mydriasim idest dilatationem aut phtisim scilicet constrictioné, si recondatur in corneam facit quatuor generum vlcera, si tandem coniunctiuam facit tarasim à græcis, ab Auicena conturbationem aut vacilationem ab extrinseco causatam, & tandem opthalmiam à causa intrinseca emanatam. Hoc contingit oculis huius nobilis Matronæ, quæ habet caput subiectam repletionibus primum per se cum sit calidum & humidum ex Gal. lib. art. med. cap. 19. quod venæ oculorum magnæ & capilli recti subflaui confirmant; deinde per accidens aurę gallicę contractę à viro, cui iam erat in matrimonium iuncta per quam cerebrum factum est debile, vnde omnia alia membra eo mittunt excrementa & proijciunt ac tamquam canem miserũ omnes mordent, postea per consensum hæpatis calidi, quod facit caliditatem per totum ambitum venarum & ex eodem ambitu vapores ad caput tandem per consensum ventriculi frigidi, vt ferè omnibus accidit, qui calidum habent hæpar, Ventriculus autem valde consentit cum capite, & propter mutuum consensum dicuntur germana illa duo membra ex Gal. 3. de loc. aff. quare caput est subiectum repletionibus; natura autem habens solicitudinem de ipso expellit humoré illum implentem, & alterantem, qui expulsus decurrit in oculum dexterum, vnde impedimentum in visu, quod est me iudice, in tunica cornea; non superficiatenus sed intrinsecus, & appellatur vulcus non

primum

primum cuius color est quasi fumus quamdam partẽ albedinis operiens; neq; secundum quod est plus primo concauum, sed tamen albidius; est bene tertium operiens partem albedinis, & nigredinis; pars tamen qua tegitur albedo rubei coloris est, quæ vero super nigredinem stat, alba est; tales colores reperiuuntur in oculo non dependentes tamẽ à materia calida, quia non est dolor, sed à materia frigida manante per venas, quæ sub cranio sunt, quia frontis & temporum venæ non apparent crassę & extensæ; talis autem materia frigida stillat in oculum, generatq; in cornea ægritudinem; quæ nisi citius curatur magna ex parte obcæcatur Galeno teste lib. primo de causis sympt. cap. 2. ducit ad sugillationem, idest ad maculã nunciat obscuritatem, pus & suffusionem, quia oculus cũ sit pars frigidissima humoribus plena suo frigore est aptus ad suscipiendam quamcumq. fluxionẽ & ægritudinem; cum sit igitur adeo malus nuncius non est certè in leui ponendus sed penitus amouendus, quantitas igitur humoris est minuenda gallica qualitas alteranda, iecoris calidas contemperanda Ventriculi frigiditas auferenda, materia, quæ remanet in capite est discutienda, vulnus in oculo existens expurgandum, exsiccandum, & implendum, cicatrix claudenda ac tandem caput corroborandum.

Quo ad fontem chyrurgicum omnium primum corpus vniuersum sectione venæ communis brachij, deinde caput cauterio est vacuandum, quod inurerẽ brachio dextero ad oculi rectitudinem, per hanc enim minorabitur materia & caliditas contempe-

rabi-

rabitur, per hoc expurgabitur materia, & Ventriculo auxilium afferetur.

Quò ad pharmatiam leniatur aluus cum cassia cui addatur portio hieræ simpl. Galeni quam non omitterem, detergit enim caput & oculos; præparentur humores mixti ad purgationem cum syr. de stæcade, de betonica, qui sunt in capite, de cichoreo qui sunt in hæpate cum oximelle scilitico, qui sunt in ventriculo, quibus adderem decoct. ex folijs betonicæ, saxifragiæ, fœniculi, endiuiæ, cicoreæ, boraginis; Pręparati purgentur his bolis. Recipe pil. de hiera cum agarico scrup. 1. cochiarum scrup. 2. agregatiuarum scrup. 5. m. cum syr. de betonica f. pil. nu. V.; vel hac potione Recipe syr. de polipodio Compositi Vnc. tres elletuarij diaph. drag. quinq; decoct. cord. 9. 5. m. f. p. b.

Pro Qualitate gallica, & discutione materiæ in capite remanentis erit decoctum chinæ, cui adderem stæcadem & betonicam pro capite, fœniculum, & eufragiã pro oculis, cicoreum pro hæpate; decoctum salsæ non proponitur, quia Ventriculus si sit infirmus, magis offenditur, non improbatur tamen decoctum ligni quia conuenit omnibus morbis & præsertim frigiditatibus, & distillationibus frigidis gallico copulatis. Pro Vlceris oculi sorditie expurganda erit saccharum candidum permixtum cum iulepo, vel syr. ros. cuius medicamenti gutula in oculum instillatur. Pro abstersione, & exsiccatione erit tale collyrium. Sume tuthię pręparatę drach. duas, aquę farfarę Vnc. tres M. Quod si sæpe instilletur in oculum sine vlla

mordi-

mordicatione abstergit, & exsiccat, & etiam aliquando sanat.

Ad vulnus implendum, & ad cicatricem claudendam tale erit medicamentum. Sume aquæ farfaræ Vnc. tres tuthiæ præparatę drach. duas, thuris, & Aloes an: drach. ʒ. m. & oculo illinerem. Pro corroboratione capitis erit conserua ex fl. betonicæ & aurea Alexandrina. Quibus omnibus victus ratio adiungi debet, quam sequitur sanitas; quam Deus concedat.

CONSILIVM VI.

DE VERTIGINE.

NObilis Iuuenis annorum triginta decem ab hinc annis cæpit conqueri de obiectorum circumuolutione cum periculo in terram cadẽdi & visus offuscatione; qua affectione tunc primum corripitur, quando facit aliquem motum corporis stomaco ieiuno, primum enim sentit rubedinem in facie, ac tandem superuenit hoc accidens cum insigni pallore faciei, & Cordis pulsatione & grauitate in sinistra manu; parum tamen durat affectus, vt vix scire possit, an circumuolutio sit, nec inde remanet aliqua molestia, solum quod de Ventriculo aliqua querella obseruatur, persentit frigiditatem, nauseam vomitum tum phlegmatis, tum coleræ, quare auxilium desiderat.

Vis consilij expers mole ruit sua, cum temperatã

Dij quoq; prouehunt in maius. Dictum Horatij Flacci Poetę pręstantissimi de potentia hominis, ipsa enim dum rationi copulatur adeo augetur etiam à Deo, vt fortitudo dicatur, sin minus ex se obruitur, & perit ac appellatur audacia stupiditas, timiditas, aut tandem insania. Actio quæcumq; corporis humani dum oriatur à natura recte operante, tamquam rationi coniuncta perfecta existit, illæsa remanet, conseruat corpus intra limites sanitatis, dum vero à natura male operante procedat ex se deprauatur, minuitur, & aufertur. actio imaginationis altera de animalibus nobilis patientis nostri cum oriatur à natura male operāte in compositione reddita est deprauata, cuius deprauatio appellatur Vertigo; natura male operatur in compositione, quia pellit vapores elleuatos ab intemperato stomacho ad cerebrum, à cerebro ad Ventriculum anteriorem cerebri vnde erigit obstructionem, quam sequitur actio deprauata, vertigo scilicet per consensum stomachi veluti vmbra corpus, quæ vertigo non est per se, quia nulla de capite querella obseruatur ex Galeno 3. de loc. aff. cap. 8. sed solum de stomacho vnde vertigo per consensum, vertigo autem est duplex, alia simplex in qua deprauatur imaginatio & visio minuitur, & aliquando etiam deprauatur ex Galeno 4. de ratione vict. com. 42. & com. 17. 3. lib. Aphorismorum, altera vertigo est tenebricosa, scotomia dicta in qua cum deprauata imaginatione aufertur visio teste Galeno com. 17. lib. Aphorismorum, vertigo, quam patitur ægrotus, non est prima, cum ei non appareat solum caput circumagi, sed est

E postre-

postrema, quia cum capitis circumuolutione habet visus offuscationem & periculum cadendi; cuius causę internæ & præcipuæ causa efficiens est morbus in mala compositione scilicet obstructio, causa materialis sunt vapores ab intemperato stomacho elleuati, causa formalis est motus inordinatus vaporum qui in cerebro continetur, quam causam Gal. proponit in 3. de loc. aff. cap. 8. quæ causæ fomentum habent à causis externis, quæ sunt errores primum in aere nocturno, postea in cibo, quia omnia genera ciborum edit, deinde in potu, quia bibit sine ordine in quantitate, qualitate & modo vsus, tandem in inanitione, quia vsus est coitu plurimo & intempestiuo, qui errores primum labefactant stomachum, deinde fouent vapores, & cogenerãt affectum, in quo sentit rubedinem in facie propter agitationem spirituum, deinde pallorem propter eorum ressolutionem, grauedinem & plenitudinem in manibus propter absentiam spirituum; eorum enim præsentia facit læuitatem propter eorum aereitatem, absentia autem est propter vapores impedientes motum ordinarium spirituum, qui solent ordinariè diffundi per omnes partes; persentit tandem tristitiam & debilitatem in corpore propter resolutionem spirituum, breui tempore durat affectus, vt vix sciri possit an sit circumuolutio, quia vapores sunt subtiles & facile vaporabiles, quando habet stomachũ ieiunum patitur hoc accidens tum quia à cibo & potu impediatur vaporum ascensus, tum etiam quia in locum spirituum qui facile resoluuntur ab inanitione succedunt vapores facientes hunc affectum; qui non est

est parui faciendus, cum sit proximus morbo epilepsiæ, & apoplexiæ, vt scribit Gal.com. 17.lib. 3. Aphorismorum, ac difficilior & periculosior in senibus, in iuuenibus tamẽ non ita, vnde est spes salutis, pro qua, exequendæ sunt quatuor indicationes à Gal. in arte medica propositæ circa ægritudinem ortam ex humorum fluxione, quæ sunt vacuatio totius corporis, reuulsio, repulsio & disolutio materiæ, quæ remanet, ac corroboratio partis, istæ enim ad nostram vertiginem etiam accommodantur, quæ præstabuntur, chyrurgia, pharmatia & dieta.

Ad chyrurgiam quod attinet si in præsentia re vera laboraret vertigine laudarem sectionem venæ in brachio, quæ pro curatione velociter ex toto corpore sanguinem detrahit, verum quoniam potius obnoxius vertigini esse solet, ideo secarem venam in cruribus pro pręcautione sic enim docet Gal. in lib. de sang. miss. cap. 19. podagricos ex cubito, comitiali morbo & vertigine obnoxios potius ex cruribus vacuandos esse; non erit alienum à ratione aperire venas aut narium aut post aures, vel cum ferro, vel cum hirudinibus, quia talis apertio pertinet ad propriam capitis vaccuationem, ad quam tamen non licet deuenire sine generali præcedente vacuatione, neq; ad arteriarum sectionem post aures propositam à Gal. in 3. de loc. aff. cap. 8. quæ sectio hoc tempore non fit quia fortasse non habentur chyrurgi & ministri periti, si etiam paretur funticulus in coxa dextera per quem materia in stomacho collecta possit fluere extra corpus, non erit ab re.

Ad pharmatiam quod attinet ante sectionem venę aluus est lenienda leuiore aliquo medicamento aut in bolo, aut in potu parato, si in bolo Sume fl. cassiæ rec. ext. drach. sex sp. hieræ simp. drach. duas m. cum sacharo f. b. si vero in potu Sume mellis ros. sol. Vnc. quinque, decoct. betonicæ parum m. f. potio.

Pro repulsione, quæ hoc tempore succedit quamuis videantur in materia frigida repellentia incommodum afferre, afferunt tamen longe maiorem vtilitatem, & ita vterer oxyrhodino hoc temperato. Sume ol. ros. conpleti & chamomelini an: Vnc. duas, aceti Vnc. ʒ. m.

Pro purgatione, quæ posthęc est conficienda, prius materia noxa est attenuanda incidenda & coquenda per quinque dies continuos tali syrupo. Sume mellis ros. collati Vnc. vnā, oximellis simp. Vnc. ʒ. decoct. betonicæ, hysopi Vnc tres m. mel enim rosatum colatum concoquit pituitam, tergit & coctionem iuuat; oximel simplex incidit humores crassos lentos & pituitosos existentes in ventriculo & venis, decoctio betonicæ & hysopi abstergit & incidit crassos humores etiam in pectore. Deinde præparatam materiam sic purgarem. Recipe ellectuarij diapheniconis Vnc. ʒ. mellis ros. sol. Vnc. quatuor decoct. betonicæ q. ʒ. m. f. p. b. Verum quoniam in frigido & rebelli humore vnica purgatio non sufficit sed conuenit à leuioribus ad valentiora progredi, ideo pro vlteriori coctione darem syr. de stæcade, syr. de betonica comp. an. Vnc. ʒ. decoct. origani, pulegij, chamedrios Vnc. quatuor pro verò purgatione pil. cochiarum drac. vnam hierę

ſimp. Gal. ſcrup. vnum. Poſtquam cum toto corpore ſtomachus erit purgatus ad capitis purgationem eſt deueniendum, quæ fit per os & per nares, per os ſunt duplicia maſticatoria & gargariſmata, prima ſic conficerem ſumere pirethri drach. vnã, piperis ſcrup. vnum, maſticis & gingiberis an: drach. ʒ. contuſis ſingulis cum melle f. paſtilli manſiles; gargariſma ſit huiuſmodi. Sume origani, hyſopi, Calamenti an. manip. ʒ. m. f. decoct. deinde ſume prædictæ decoct. lib. vnam, oximellis ſimp. Vnc. duas m. pro gargariſmate. Per nares autem ſit tale errhinum. Recipe origani, rutæ, violarum an. drach. ʒ. elaterij gr. duo ſucci betarum q. ʒ. m. f. veluti ſuppoſitorium, quæ omnia caput purgantia non omitterem quamuis legitima curandi ratio conſiſtit in curatione partis conſentientis, verum quidem facerem purgationẽ ſemper ante cibum minime per vnam tantum partem, ſed quando per os, quandoq; per nares, quia ſic erit oportuna. Pro roboratione Ventriculi & capitis ſunt medicamẽta partim interna pro vtroq; vt cõſeruę betonicæ, ſaluiæ, menthę, theriaca, mithridatum, partim ſunt externa, & primum pro ventriculo ſume roſarum, maſticis an. drach. vnam, fol. abſcinthij ſicci drach. ʒ. ſpicæ indæ ſcrup. ʒ. ceræ mundæ vnc. ʒ. ol. roſ. Vnc. duas igne diſſoluantur ol. & cera & lauentur in acqua roſarum pluries, iterumq; in vino & ſucco citoniorum, & aceto pauco, deinde reliqua miſceantur, & fiat ceratum, ventriculoq; applicetur; deinde pro capite ſunt odoramenta ex maiorana, inunctiones ex oleo liliorum alborum, lotiones, & ſtillicidia

ex aquis thermarum, aponensium quibus si careamus, nos poterimus artificio parare in aqua communi decoquendo sal, sulphur, & alumen, quæ in aquis naturalibus redundare videntur.

His omnibus victus ratio correspondeat, quæ debet habere vim extenuandi, & incidendi, à quibus omnibus tollitur error naturæ, & fit vis temperata, quam Deus quoq; prouehat in maius. Dixi.

CONSILIVM VII.

DE SOMNIO.

NObilis Iuuenis decimum quartum annum agés rosei coloris mediocriter carnosæ, & Hæpatis calidioris ante tres annos patiebatur talia somnia, vt dormiens clamaret modo in varijs noctis téporibus, modo per omnes noctes durantia absq; alicuius membri molestia, quæ ita perdurauere vsq. quò à monialibus fuit accepta verum hoc tempore (quod est tempus æstatis) talia somnia adaucta aliquando surgens de lecto obambulat dormiens tamen apertos vigilantium instar oculos habens, cursitat, & ad aliqua interrogata respõdet, & aliquando non surgens in lecto canit, & omnia die facta narrat; hinc die post perturbationem aliquæ animi obseruantur querellæ de vomitu materiæ biliosæ, de siccitate alui, capitis grauitate cum cordis pulsatione, & apparent oculorum venę sanguinis plenę parum tamen perdurant, nec inde remanet aliqua molestia, bene appetit, bene concoquit

quit,neq. aliqua obſeruatur quęrella de Ventriculo , menſes habet ſuis temporibus nullam noxam in reliquis operationibus obſeruans; Verum in quarta die huius menſis Iunij cœpit conqueri de menſibus dimminutis in quinta modo de calore Ventriculi, modo de eius frigiditate cum dolore Cordis & Ventriculi ac totius corporis tremore,cito tamen inuadentibus, citoq. ceſſantibus; tunc enim primum ſentit dolorem cordis. & Ventriculi, deinde totius corporis tremorē, inde memoriæ, auditus dimminutionem, poſtea viſus offuſcationem,ac tandem loquelę amiſſionem,parum tamen durat affectus,quare deſiderat curationē.

Quoniam dignotio præcedit curationem & prænotionem ideo primo de cognitione morbi diſcurrā, tandem de curatione. Ad primum . Somnium eſt phantaſma factum à motu ſimulacrorum dormientis in eo,qui dormit; verum cum hoc phantaſma tripliciter dicatur animale ſcilicet,naturale & cæleſte , & animale eſt quod fit à multa ſolicitudine animę circa quoddam in vigilia,naturale quod fit à dominio complexionis & humorum,cœleſte eſt quod fit dum anima libera ſubſtantijs ſuperioribus applicata ſuſcipit eorum reprę ſentationes fitq. ex eorum motu , ideò obſeruo,quod ſomnium huius patientis non eſt cęleſte,quia non narraret facta dormiens, ſed futura potius,nec eſt ſolum naturale,quia non dicit ſolum acta & quotidie cogitata,eſt igitur neceſſario animale , quia ſomniat quę operatur,ſperat & vult, nec dicere valet potius eſſe pauorem,tum quia in ſomno affectio terminatur, pauor vero in vigilia etiam viget vt impli-

pli-

plicite Galenus docet in com. 3. tertię Aphorismorũ aph. 24. dum eius causam in mordicatione Ventriculi assignat, quam Ventriculus persentit, quando pręcipuus eius sensus est liberus in vigilia; tùm etiam quia imaginationes non sunt terribiles, quæ in pauoribus solent fieri ex eodem Gal. loco citato, sed iucundę cũ risu, cum deambulatione; sileant igitur scioli, & mãmi pectantes pauorem fieri & terminari in somno, quoniam viri proli & docti dicunt in somno oriri in Vigilia terminare, quia vapores impedientes & molestantes excitant, expergefaciunt & per vigiliam resoluuntur; hoc igitur somnium sequitur motum simulacrorum, qui motus fit à fumositatibus vaporosis à caliditate iecoris, & ab vtero eleuatis in cerebrum, quæ fumositates faciunt cerebrum calidum & siccum & ita eorum vaporum receptiuum, quare vaporosę fumositates, quatenus faciunt intemperiem calidam in cerebro, causant adeò agilem motum, vt inducant somnia instabilia & permutata, quatenus intemperiem siccá faciunt adeo grandem motum extrinsecum, vt extrinsecæ virtutes motiuæ & sensitiuæ moueantur, vnde patiens surgens de lecto cursitat apertos habẽs oculos vigilantium instar, & ad aliqua interrogata respõdet, & quatenus faciunt vtramq; intemperiem causãt talem motum, vt cum expergefacta est, non meminerit somnia; Verum quia cerebrum tali intemperie affectum est phrænitidis locus vt in com. primo Galeni in pũm proriticorum Hip. ideo non est mirum si ad memorandum est diminuta, & cum sit quædam affinitas inter cerebrum & vterum necessario contingit,

tingit, lęso cerebro, læsio vteri, ideſt datis ſomnijs, memoria diminuta intemperie calida & ſicca cerebri contingit læsio vteri diminutio ſcilicet mentis, ſeminis retentio materia congregata, quæ comprimit mébra vicina per ſuceſſionem vſq; ad diaphragma, & facit ſuffocationem & è conuerſo, ideſt datis fumoſitatibus vaporoſis ab vtero eleuatis necceſſario contingunt illa diuerſa ſomnia, memoria diminuta, intéperies calida & ſicca cerebri & timor de phrenitide, qui rationabiliter viget, viget etiàm timor de difficultate perfectæ curationis, tum quia conſanguinei, & præſertim Pater patientis ſolebat talia ſomnia videre, tum etiam quia pars curationis me iudice, conſiſtit in libertate animi & corporis; Verum quia ex altera parte morbus eſt cognitus, & ſunt medicamenta apropriata concipio ſpem ſalutis; Pro qua materia à qua fiunt fumoſitates vaporoſæ eſt euacuanda, pro euacuatione eſt pręparanda attenuantibus detergentibus & incidentibus, fumoſitates reuellendæ partes generantes, quæ ſunt iecur & vterus ſunt contemperandæ, intemperies calida & ſicca cerebri eſt tolenda partes tandem, quæ ſunt Ventriculus& caput potiſſimũ ſunt corroborandæ, quæ præſtabuntur Chirurgia pharmatia & dieta.

Ad Chirurgiam quod attinet, quoniam diſtabat à ſuo tempore menſtruorum purgationum, miſi ſanguinem ex vena Baſilica brachij dexteri ad vnc. octo pro euacuatione vniuerſali & Hępatis contemperatione; mox ex pede eiuſdem lateris ad vnct. ſex pro fumoſitatum reuulſione ac vteri contemperatione; tá-

F dem

dem ante sex diex temporis superuenientium purgationum sanguinem ex vena saphena sinistri pedis ad octo vnc. misi.

Ad Pharmatiam quod attinet cum infra purgare voluerim Hippocraticum seruaui dictum quod est in 7. Aphorismorum 74. humectaui igitur aluum cum syrupo violato solutiuo & electuario lenitiuo, magis enim elegit potionem, quam bolos, quos nullo modo omittere volebam ex cassia factos cum aliqua portione specierum hieræ simplicis; refrigerant enim & humectant, calidos euacuant humores vterumq; detergunt; verum in grandibus ijs accidentibus cordi, ventriculo, iecori, & vtero vigorem præstare debebam ac partes adiuuare non solum in expellendo à se nocuũ, verum etiam in concoquendo, consumendoq; magis nocuum, ac tandem in attrahendo familiaria alimenta & medicamenta dedi vnc. quatuor aquæ acetosæ, ac duas vnc. aquæ nenufaris cum guta vna aquę theriacalis, vnde accidentia euanuere, præterquã somnia.

Materiam euacuandam quia cruda concoquerem cum folijs cicoreæ, endiuiæ, boraginis, acetosæ, iunci, lactucæ, & betonicæ & seminibus citri; humore concocto & præparato purgarem reiterando medicamẽtum, vel cassiam cum hiera, vel cum diaphinicone, sic enim non calefacere, nec humores crudos agitare. Tandem deuenirem ad vsum aquæ Virginis, quę tãtum in potu adhibetur ad attemperandum iecoris, ac cæterarum partium corporis feruorem, huic addere saccharum rosatum, quod valet etiam ad hæpar refrigerandum, ne tanta efficatia sanguinem excoqueret,

&

& adureret. Pro capite conserua ex floribus neunupharis, pro verò ventriculo conserua menthæ vtetet. quibus addenda est optima viuendi ratio, quæ omnia prudentissimo iudicio Viri Perillustris, & Excellentissimi volo esse subiecta.

CONSILIVM VIII.

DE INTEMPERIE FRIGIDA, ET SICCA VENTRICVLI.

DEcimus sextus nunc agitur annus ex quo Vir annorum XXXXVIII. temperamenti calidi & sicci, rubei coloris post vsum venereum incidit in dolorem alterius tibiæ & debilitatem crurum, quæ perdurauere vsq. quo incidit in diuersas glandulas circa collum & debilitatem visus semper exacerbantem tempore veris, verum tamen parũ perdurarunt; post duos annos cæpit conqueri de ventriculo, qui tarde & male concoquit cibum, de frequẽti vomitu materiæ diuersi generis cum rutibus acidis & ventris tensione, rugitu, flatibus & pondere, verum semper appetit calida & humida & ab eis nunquã habuit lęsionem, patitur puncturas modo in brachio, modo in pede, modo in altera parte corporis, sed citò cessantes, de quibus semper vsq. a querela ventriculi passus est multa, sumpsit medicamenta intra hoc tẽpus, verumtamen semper vigentibus affectionibus, septem ab hinc mensibus superuenit ablatio paulatina sensus cum diminutione motus partium inferiorum à

dorso infra, nunc est perfecta ablatio sensus & desiderat auxilium.

Quoniam video duas partes diuerso tempore affectas ventriculum scilicet & dimidiam partem corporis merito de priori affecta primo discurram, postremo de altera: prior igitur pars affecta est ventriculus, qui afficitur non vt ventriculus & corpus organicum & propterea non à mala compositione, & à solutione continui, sed vt pars similaris ab intemperie scilicet, quare, me iudice, ventriculus habet intemperiē frigidam & siccam, duplicem habeo rationem, quarum altera est, quia ventriculus, qui appetit calida & humida, à quibus non læditur, habet intemperiem frigidā & siccam; ventriculus patientis appetit calida & humida neq; ab eis læditur (vt in scheda) ergo habet intēperiē frigidā & siccā. Altera ratio est. Ventriculus, qui tarde & male concoquit, emittit ructum acidum, sitit, sentit tensionem, rugitum, flatus & pondus, habet intemperiem frigidam & siccam, sed ventriculus huius patientis patitur hæc omnia ergo habet talem intemperiem, maior vtriusq. rationis est Galeni 2. art. med. cap 60. et 63. hanc intemperiem facit lues venerea primo deinde iecur calidum, lues venerea, quia ipsa primo incipit in hæpate, deinde vt aura spirauit in crura et tibias, vnde dolorem genuit et debilitatē, postea derelinquens illas partes vagando occupauit caput, vnde glandulæ circa collum, debilitas visus, tandē deffessa ventriculo decubuit, vnde intemperies frigida, et sicca, quam ventriculo tribuit etiam hæpar calidum, hæpar enim calidum facit neccessario ven-

tri-

triculum frigidum, tùm quia caliditas extrema destruit fomentum quod est quoddam conseruatiuum caloris naturalis ventriculi, hanc caliditatem declarāt temperamentum, venarnm latitudo, hispiditas hypocondriorum, et abundantia bilis, quia partim per venas meseraicas discurrens labitur in ventriculum, partim per venam cauam influit in magnas et per illas labitur in minimas, et capillares, et in partes sentientes, quatenus labitur in ventriculum, vel est separata ab illa pituita viscida crassa, genita in ventriculo vel copulata et circumdata, quatenus est separata, cum sit in illo loco præter naturam, quærit exitum, vnde facit nauseam, vomitum materiæ biliosæ, sitim, quatenus vero est circumdata à pituita expellit ipsam et expellendo expellitur, vnde vapores eleuati, sitis, amaritudo oris, pituita vero expulsa eam derelinquit circundat cibum, vnde tarda et mala concoctio ructus acidi, ventris tensio, rugitus, flatus et pondus; bilis vero, quę influit in partes sentientes, in quibus adsunt humiditates et pituita exsiccat illas humiditates, dum verò exsiccat repatitur, et dum repatitur, fiunt punctiones modo in brachio, modo in pede, modo in altera parte corporis citò tamen cessantes, quia bilis, cum sit tenuis, cito agit, citòq; resoluitur, bilis vero colliquat pituitam exuberātem in corpore, et eam colliquatam depellit ad spinalem medullam primò, deinde ad neruos ab eodem procedentes, et paralysim inducit à dorso tamen infra, quia pituita non ad caput sed ad spinalem medullam fuit depulsa, ablatus autem est sensus tantum, quia quam maxime

est

est læsus solum neruus deferens sensum in superficie, diminutus postea est motus, quia parum est læsus neruus deferens motum, hoc autem est secundum Gal. lib. primo de loc. aff. cap. 6. et primo de simpr. causis cap. primo qui ait interdum fieri, vt per vnum neruum distribuatur sensus et motus, interdum per diuersos, vnde quotiescumq. fit distributio per diuersos neruos non est mirum, si auferatur sensus solum, et motus tantum diminuatur, hoc autem fit solum in paralysi imperfectà, qualis est hæc ipsa, et hæc quo ad ægritudines tum ventriculi, tum dimidiæ partis corporis. Si Ægritudo ventriculi esset vna intemperies sola et intemperies humida esset curabilis quidem, quia humiditas est minus congregata in sua materia, humidum enim expanditur & fluit & est admodum passiuum, vnde longè facilius est exsiccare humidum, quam humectare siccum, quia siccitas est magis actiuā & vnita in sua materia & præsertim in ventriculo, qui est membranosus, cum autem sint duæ complicatæ incurabiles efficientur. Si igitur hęc ægritudo erit incurabilis, quæ est casa principalis alterius ægritudinis & ipsa, me iudice, erit incurabilis; verum quoniā solemus videre Deum Omnipotentem medicamentis rationalibus & apropriatis copulari cooperariq; adeo vt his mediantibus sanitatem desperatā tribuat, ideo, Deo solum cooperante, concipio spem salutis, pro qua intemperies iecoris est contemperanda, materia digerenda, digestaq; euacuanda, crassefactio & oppilatio neruorū est auferēda & discutiēda, intēperies faciēs resolutionem est temperanda, partes corroborandæ.

Ad

Ad Chirurgiam quod attinet duos gestat funticulos alterum in coxa dextera, alterum in brachio sinistro facerem alterum in altera coxa pro maiori materiæ euacuatione, non inurerem setacium occipiti, cũ principium morbi non sit in cerebro, sed in spinali medulla, erit ab re parare viam in superiori parte per quam materia, quæ est in inferiori possit fluere extra corpus, & abstinerem ab omni missione sanguinis.

Ad pharmatiam, lenirem aluum cum Vnc. ʒ. hieræ simp: Galeni quam cum melle ros. sol. in bolos redigerem; si autem desideret potionem darem mellis ros. sol. Vnc. tres syr: de polipodio compositi Vnc. duas cum decoct. cord. facerem potionem. Præparãda est materia noxia, & meatus sunt aperiendi syrupis de stæchade, de betonica positis in decoctione saluiæ, betonicæ, menthę, cum quibus exhiberem aliquod cardiacum, vt conf. de iacinto aut species cord. pro cibo, vt præstarem vigorem cordi, ventriculo, hępati, adiuuarem ipsas partes in expellendo à se nocuum, in concoquendo & consumendo magis nocua, & in attrahendo familiaria alimenta & medicaměta, assumatq; patiens septem dierum spatio in aurora.

Præparatam materiam euacuarem tali medicaměto sumědo pil. cochiarum & agregatiuarum an: scrup: duos; vt autem vires, quæ sunt imbecilles, paulisper recreentur, bonum esse putarem à medicamento cessare, donec tres aut quatuor dies transeant, iterum postea eadem præparantia exhiberem additis syrupis de iua ac de toto citro, dummodo decoctum sit alteratũ etiam cum fol. maioranæ, pulegij & rad. fęniculi;

Facta

Facta hac præparatione quinq; dierum ſpatio materia eſt his validioribus euacuanda: ſume pil. de euphorbio drach. vnam, de opoponacæ ſcrup. vnum m.f.pil. ſex & aurentur . Quod ſi tandem hæc fruſtra adhibeantur, malumq; perſeueret adhuc ſciendum reliquias remanſiſſe, illaſq; eſſe penitus extinguendas medicamentis diſcutientibus, quę partim intus ſunt aſſumenda, partim extra applicanda, intus in vſu eſt decoctum ligni ſancti, verum patiens refert decoctum ligni & ſalſæ multoties accepiſſe, verum ſemper damnum in ſtomacho à decocto ligni accepiſſe, in ſtomacho enim perſentiebat ſiccitatem adeo ingentem, vt coactus fuerit illud relinquere , auxilium autem attuliſſe à decocto ſalſæ in tempore tamen autumni , quamuis lignum ſit magis amicum ſtomacho quam ſalſa, ſtomachus enim ſi ſit infirmus magis offenditur ab ipſa, ego tamen nollem experiri, vnde ſalſæ decoctum exhiberem, quia & illud morbis gallicis conuenit, in quo aliquam partem rad. chinæ ponerem, iádudum enim comprobatum eſt hanc radicem magnopere conferre , quando gallico paralyſis copulatur, cui adderem herbas caput, hæpar & ſtomachũ reſpicientes. Quæ exterius ſunt applicanda erunt innunctiones, ſtillicidia, luta rubificantia & fouerę , quare ventriculo applicarem oleum nucis muſcatæ , ſpinali medullæ vbi eſt mali origo oleum de euphorbio, vulpinum, coſtinum cum pul. caſtorei & ſinapis, habet enim vim detrahendi, & conſumendi illos imbibitos humores, applicarem lutum quod eſt in noſtris agris, conueniunt quoq; ſtillicidia aquarum no-

ſtrarum

ftrarum, & si hæc remedia non auferunt morbum deuenirem ad rubificantia ad fricationem scilicet partis cum pul. euphorbij nitri & sulphuris, his non conferentibus deuenirẽ tandem ad foueas in nostris thermis patauinis, in quibus sunt foueæ, & ibi cum copiosissimi sudores excitentur solet morbus elidi ex neruis. Partes sunt corroborandæ Ventriculus scilicet cum conserua de mentha, ex fl. boraginis, caput de betonica, iecur de cicoreo, cor de buglossa; quibus & victus ratio sit correspondens, & tempus adiungatur idoneum curationem tentandi, quam in hoc anni frigido tempore non tentarem, quam tentatam Deus fortunet vt precor.

CONSILIVM IX.

DE SYNCOPE PERIODICA ET RETENTIONE MENSTRVORVM.

MVlier annorum 40. habitus carnosi, fusci coloris ante annum, post exitum trium guttarum sanguinis ex utero, dum cubile parabat, cæpit conquæri de subito casu seu lapsu virtutis, in quo quasi mortua relicta erat, sed per aliquas horas perdurante, perdurauit postea sana vsq; quo peruenit ad tempus purgationis mensium statutum, qui menses postquam fuere detenti, tunc primum sentit puncturas quasdam per totum corpus nauseam ciborum, inappetentiam, rubedinem insignem in facie, dolorẽ capitis, adeo, vt incidat in impotentiam ad operatio-

nes motiuas, tunc primum desinit affectus, quando soluit cingulum & thoracem, & euomit aliquid materiæ biliosæ, sed non semel incidit in hunc affectum, sed bis & ter, & tandem desinit in illum casum repentinum virtutis, in quo quasi mortua relinquitur, & ita mensibus detentis euadit affectus nec inde remanet aliqua molestia; hac affectione omni mense corripitur quando est menstruæ purgationis statutũ tempus, licet ad hoc tempus sit frustra peruentum. quare desiderat auxilium.

Res nauis in nauigando geritur viribus, velocitatibus & celeritate corporum eorum, quorum alij scãdunt malos, alij per foros cursitant, alij sentinam exhauriunt, verum res nauis cum naue perditur, si alter non teneat clauum, quamuis sedeat in puppi quietus, & non faciẽs ea, quæ iuuines; Natura hominis in vitam ducendo geritur motibus innatis & facultatibus agendi, quarum alia scandit malos attrahendo & retinendo alimentum, alia per foros cursitat concoquẽdo & vniẽdo, alia sentinam exhaurit expellendo nocuum, verum natura, quæ aliquando acurrit cũ sanguine & spiritu ad locum dolentem auget inflammationem, quam credit se sedaturam, pellit materiã nocuam à parte minus principali ad principaliorem, dum expellit antequam sit concocta, hæc inquam natura perditur si medicus non faciat naturam cum ratione operari impedimenta remouendo, auxilia administrando, naturam errantem corrigendo tamquã Gubernator tenens clauum sedeas in puppi quietus & [illegible]

Natu-

Natura nostræ patientis acurrit cum sanguine & spiritu ad Cor malis humoribus alteratum, auget alterationem, quam credit se sedaturam, vnde orta est syncopis, talis natura perderetur rueretq. cum patiente, nisi medicus faciat naturam cum ratione operari cognoscens naturæ vires essentiam morborum, caussarum, & impedimentorum.

Peccat autem natura circa constitutionem corporis determinatam respicientem constitutionem naturalem partium similarium Ventriculi primum, deinde Cordis, vnde oritur eorum intemperies, quæ est casus Virtutis seu syncopis caussa, quamuis aliter sentiat Argenterius, casus autem virtutis, quamuis sit nomen generis ad deffectionem animi, ad lypotimiã, & syncopim, est tamen in hac patiente modo lypotimia, modo syncopis, lypotimia quidem quando patitur impotentiam ad operationes motiuas, syncopis vero, quando incidit in casum virtutis repentinum, in quo quasi mortua relinquitur, casus virtutis distinguitur per gradus secundum magis & minus, aliquãdo enim cadit, idest deficit virtus sed non multum & hic vocatur defectio animi, in quo animositas, idest virilitas & corporis viuacitas deperduntur, & remanet corpus absq. colore viuido cum pusillanimitate, non audens aggredi operari, & iste gradus est prçuius ad secundum, qui secundus lypotimia appellatur, in qua non solum deperditur animositas, sed etiam potentia exercendi operationes motiuas maximè fortes, & si debiles fortasse possint exerceri, & hic secundus est præuius ad tertium, qui tertius est casus virtutis

ſubitò, in quo eſt impotentia excercendi operationes motiuas non ſolum fortes, ſed etiam debiles, adeò vt tales patientes audiant & intelligant, quæ audiunt ſed non poſſint verbo vel ſigno monſtrare, & hic tertius gradus eſt præuius ad quartum, qui quartus dicitur ſyncopis, in qua & deperditur virilitas, & potentia exercendi operationes motiuas non ſolum fortes, ſed etiam debiles, non ſolum omnes operationes motiuas, ſed etiam ſenſitiuas, ita vt ſyncopis ſit mors temporalis, ſicuti mors eſt ſyncopis perpetua; cum igitur patiens aliquando patiatur impotentiam exercendi operationes motiuas tantum, aliquando non ſolum illam impotentiam, ſed etiam impotentiam exercendi operationes motiuas & ſenſitiuas, vt quaſi mortua relinquatur, ideo patitur modo lypotimiam modo ſyncopem. Horum autẽ affectuum cauſæ ſunt modo diminutio quo ad quãtitatem, alteratio quò ad qualitatem, tum ſpirituum, tum membrorum ſolidorum, diminutio quidem ſpirituum fit ab humoribus tum tenuibus, tum craſſis, à tenuibus quidem cũ ſpiritus, qui participant naturam igneam, impediantur & non poſſint libere moueri, aliquo verò pacto minuuntur, & ſic accidit lypotimia, à craſſis vero magis impediuntur, & ideo magis etiam corrumpũtur & minuuntur & ſic accidit ſyncopis; diminutio vero ſolidorum & præcipue ventriculi fit ab humoribus malis decurrentibus ad ipſum, cum enim humores mali decurrunt ad ventriculum habentem acuitatem ſenſus, & lædunt ipſum fit lipothymia, cum vero læſio illa communicatur Cordi fit ſyncopis, alteratio

ſpiri-

ſpi rituum fit quoq; ab humorum prauotũ mala qualitat e aut intenſa, aut pauca, ſi à paucã mala qualitate humorum prauorum fit alteratio ſpirituum fit lipothymia, quando ab intenſa, accidit ſyncopis, alteratio vero ſolidorum membrorum & præcipue ventriculi huius patientis fit à frigiditate, cum enim mali humores decurrunt ad ventriculum faciunt frigiditatem & læſionem, quæ dum non communicatur Cordi fit lipothymia, cum vero communicatur Cordi fit ſyncopis; humores autem praui facientes diminutionem & alterationem, tum ſpirituum, tum membrorum ſolidorum ſunt excrementa ſuppreſſa, quę continuo generantur & copioſe coaceruantur, & colliguntur, vt deinceps ſingulis menſibus ad partes genitales vt ait Gal. 2. de ſemine cap. 5. omnium imbecillimas tranſmittantur, & purgentur, quæ quidem excrementa cum non poſſint exire ſuo ſtatuto tempore, eorum partes ſubtiles eleuantur ad ventriculũ ipſũq; lædunt alterantq; ſpiritus & tunc primum accidit lipothymia & quoniam natura diſſipat hanc materiam lædentem expellit per vomitum, ideo breuiſſime deſinit affectus, qui iterum atq; iterum reddit, quia denuo talis materia decurrit ad ventriculum & ad ſpiritus, denuo quoq; ipſa à natura diſſipatur, deſinit tãdem in ſyncopem, quia cum illa materia tenui craſſa eleuatur, impedit tranſitum ſpiritus, & ſua mala qualitate intenſa alterat eos, & tandem corrumpit, decurrit ad ventriculum, & eadem mala qualitate ipſũ lædit, deſinit tandem ſyncopis, quia materia faciens hos affectus refrangitur, à natura reſoluitur; denuò

gene-

generatur spiritus, & ideo non remanet aliqua molestia; hac affectione omni mense corripitur, quia excrementa illa, quæ menstrua appellantur non expurgantur, & faciunt illam diminutionem & alterationem tum spirituum, tum membrorum solidorum. Verum quatuor ab hinc mensibus solet tantum affligi à lipothymia, & non à syncope, quia menstrua illa retenta reddita sunt vi medicamentorum tenuia; retinentur vero menstrua & supprimuntur quatuor ob causas vt ait Gal. 3. de simpt. causis cap. 4. & 5. aphorismorũ com. 57. primo ob vitium vteri & vasorum 2. ob vitium sanguinis, siue materiæ 3. ob vitium vniuersi corporis 4. ob vitium facultatis & virium; Patiẽs hæc non habet suppressa menstrua ob vitium vteri, quia fuit apta ad generationem, immò plures filios genuit, nec ob vitium totius corporis quia bonam habet temperiem, sed tantum ob vitium sanguinis, vasorum & facultatis; ob vitium sanguinis, quia id quod euacuat est crassum, sed non glutinosũ, vt antea, quod vi medicamẽtorum redditum fuit minus crassum; ob vitium vasorum, quia vasa, per quæ sanguis debet fluere sunt obstructa non tantum à qualitate, sed potius à multitudine sanguinis, qui dum simul totus cõfluit per meatus angustos magis retinetur, vt contingit in turba hominum, qui simul irruentes in angustã viam sibi mutuo sunt impedimento, vt nemo possit transire Gal. 8. meth. cap. 4. ob tandem vitium facultatis, quia ob vires robustas facto impetu, sanguis ad alias partes irruit.

Hic morbus est periculosus, quia cum deficit virtus

potest

poteſt etiam deficere anima,& eo magis eſt quia cauſæ ſunt pertinaces ex Hip. primo lib. de morb. mulierum vbi notat ſi menſtrua ſupprimãtur ſex menſes illa amplius non prouocari & fieri malum incurabile; verum ex altera parte vidimus cauſas non eſſe ita pertinaces ex eodem Hip. 4. epid. primo qui refert hiſtoriã cuiuſdam ancillæ, cui ſeptem annos fuere retenta menſtrua, quæ demum rediere, ideo concipio ſpem ſalutis & ſpatio vnius mẽſis; pro qua vaſa per quę mẽſtrua debent fluere ſunt deobſtruenda, menſtrua ſunt attenuatione præparanda, & poſtea euacuanda, ad quę particularia non licet deuenire, niſi primum habeatur ratio vniuerſi corporis, vnde communis corporis vacuatio ante omnia adhibenda eſt, quæ præſtabuntur chyrurgia, pharmatia & dieta.

Ad Chyrurgiam, quamuis phlæbotomia ſit præſidium rationale, quia patiens ſolet incidere in ſyncopem toties, quoties fit phlæbotomia, & hoc propter debilitatem ventriculi & eius oris acuitatem ſenſus, per quam humores mali decurrentes ad ipſum, poſsũt inducere ſyncopem hoc præſidium non erit adminiſtrandum, ſed loco eius adhiberem malleolorum ſcarificationem, quæ eſt venæ ſectioni vicaria, aut tantumdem vt vtar Gal. termino qui terminus eſt in 4. de ſanitate tuenda cap. 4. quod ſi patiens abhorreret à profundis inciſionibus ſanguinem extraherem cucurbitulis adhibitis malleolis, quandoquidẽ hoc euacuationis genus videtur omnium inſtar eſſe, & conuenire non ſolum hæmorrhoidibus retentis, ſed etiam menſibus mulieris, & me abſtinerem ab apertione

tione hemorrhoidorum, quæ potius potest impedire, quam prouocare menstrua, tum quia inter venas vteri & hæmorrhoidales nullus consensus extat, tum etiam quia, quæ fluunt per lotium vel per vterum, vel per aluum deriuantur sic dicente Galeno 5. meth. 3. vnde ego possum arguere, quæ fluunt per vterũ posse etiam deriuari per hæmorrhoidas, cauterium in coxa dextera fortasse non erit inutile.

Ad pharmatiam quod attinet humectarem aluum, cum desiderem infra purgare hoc corpus iuxta doctrinã Hip. 7. aphorismorum 74. dicentis, corpora oportet vbi quis purgare voluerit fluida facere, & si supra sistere aluum, si vero infra humectare, humectarem autem medicamentis, quæ possunt non solum purgare excrementa, quæ in ventriculo & primis vijs continentur sed etiam crassos humores attenuare, incidere, & partes (maximè vterum) calefacere, & iuuare, inter quæ est hiera simplex sic dicente Galeno de curandi ratione per sang: miss: cap: 18. quã sic exhiberẽ.

Sume specierum hieræ simp. drach. vnam & s. fl. cassiæ nouiter extract. drach. sex. m cum saccharo f. b. at si vellet vitare bolos, saltem exhiberem hunc tãtum. Sume hieræ simp. drach. vnam & cum syrup. de betonica f. b. & statim post ipsum darem hanc potionem. Sume mellis ros. sol. vnc. tres, decoct. sem. citri parũ m.f.p.b. Menstrua sunt attenuatione præparãda & vasa deobstruenda, quod facerent syrupi de arthemisia, de betonica, oximel compositum, valenter postea syr. de duobus, de quinque radicibus, bisantinus, decoct. rad. fœniculi, pulegij, calamenti, beto-

nicę.

nicæ. Concocta materia licet deuenire ad eius purgationem, quæ in potione poteſt ſic fieri. Sumendo fl. violarum, boraginis, buglossæ an: manip. ʒ. Arthæmiſiæ, capillorum Veneris, meliſſæ an. p. ʒ. rad. apij, fœniculi an. vnc. ʒ. paſſularum enucleatarum, liquiritiæ raſæ an. vnc. ʒ. aniſorum drach. duas m. f. decoct. ſecũdũ art. & facta colatura, adde agarici trochiſcati drach. vnam, gingiberis gran: ſex. m. f. infuſio ſecũdũ artem. & facta expreſſione adde electuarij diaphęnic: drach. ſex, mellis roſ. ſol. vnc. duas m. f. p. b. vel in bolis ſic fieri poteſt ſumendo hieræ logadij drach. vnam, pil. de hiera ſimp. ſcrup. vnum, cochiarum ſcrup. ʒ. m. cum ſyr. de betonica f. b. numero quinque & aurentur; Facta purgatione peruenirem ad medicamenta prouocãtia menſes, quę ſunt duplicia partim interna, & partim externa; primum igitur ſunt medicamenta interna, inter quæ talem adhiberem ſyr. Sume ſem. & rad. fœniculi, petroſelini, aſparagi, cicerum rubeorum, calamenthi montani, dictami, pulegij, ſabinæ, rubeæ tinctorum an. p. vnum aq. communis q. ʒ. m. f. decoct. ſecũdum art. deinde ſumerem prædictæ decoct. vnc. quinque, ſyr. de arthemiſia vnc. vnam m. pro ſyrupo, qui aſſumatur mane calidus. laudarem etiam tale electuarium; Sume conſeruæ ſaluiæ capil. veneris, betonicæ an. vnc. vnam, cinnamomi elect. dictami cretenſis, calamenthi montani an. drach. ʒ. ſyr. de arthemiſia q, ʒ. m. f. electuarium cuius vnc. ʒ. aſſumat patiens; Approbo Caſtoreum propoſitum à Galeno in lib. 11. de ſimp. med. cap. de Caſtoreo de quo conficerem talem bolũ Sume

Castorei drach. ʒ. calamenthi, aut pulegij scrup. vnum m. f. b cum syr. de betonica. Sunt rotulæ etiam cuius talis erit forma Sume specierum diambræ, diacalaméthi an. drach. duas, sacchari fini vnc. quatuor m. & cum vino aromatico f. conf. in rotulis, quam darem ieiuno stomacho patienti; postremo sunt antidota, mithridatum, Theriaca; tandem est potus aquarum Thermalium, quales sunt nostræ Aponitanæ, non quidem quæ aluminosæ, & ferreæ sunt, quæ habent vim calefaciendi, abstergendi & aperiendi, & menstrua purgandi, darem ante cœnam per octo dies ante tempus debitum, quo menstrua solent dirrumpi pomum vt edat sub cinere coctum cum radicibus multis ellebori nigri in eo infixis, & detractis illis radicibus. Deinde sunt medicamenta externa, ac primum sunt lotiones, balnea, quæ possunt esse naturalia vt aquæ thermarum, & artificialia cuius forma est talis Sume Calamenthi, origani, saluiæ, sabinæ, cheiri, pulegij, matricariæ an: manip: vnum vini albi aromatici q. ʒ. m. f. ebulitio vsq; ad consumationem medietatis cum reliquo diluuat sibi crura patiens; facta lotione vngat orificium vteri hac vnctione Sume ol. sesamini, succi sabinæ an. vnc. vnam, moschi optimi gr. x. m. & valentius efficies. matutino tempore post assumptum illud medicamentum superius dictum tribus horis iubeo vti suffitibus aromatum ad vuluam vt Hipocratico more menses educantur. Sume cassiæ ligneę costi, cinnamomi, ammomi, gariofilorum an. drach. vná m. f. puluis & efficiatur vuluæ suffitus. His omnibus medicamentis vasa de obstruuntur, congrua materia

ad vterum trasmittitur, præparata tandem euacuatur, & sic aufertur lipothymia, dummodo tamen his omnibus victus ratio correspondeat, quæ omnia sequitur sanitas, quam Deus Omnipotens concedat & tribuat.

CONSILIVM X.

DE PRÆFOCATIONE VTERI INCIPIENTE.

Nobilis Matrona annorum 30. mollis habitus mediocriter carnosa hæpatis calidioris, cum sit viro sano per quindecim annos in matrimonium iuncta peperit filios quatuor, atq; septem filias, semper à conceptione conquerebatur de frigiditate stomachi & inflatione, quæ affectio statim minuebatur, vel à partu per purgationes, vel ante per tumorem pedi inuadentem & paulatim ab eo euadentẽ, & semel per tumorem inguinem corripientem, sic tamen diminuta perseuerauit frigiditas, quæ perseuerat in præsentia; verum quia ante tres menses peperit filiã & diminute purgauit à partu, cœpit conqueri de illa eadem, verum magis adaucta cum alia frigiditate, interdum orta ab inferiori ventre partem sinistram capitis lædente, eiq; puncturas & toto corpori tribuente, modòq; lumbos & deorsum occupante, modò alias corporis partes inficiente, inde sentit debilitatẽ Cordis & visus & respirationis difficultatem parum tamen durantem continuam pedum & crurum frigiditatem, timet de aliquibus non timendis, tristatur de quibus non decet, & auxilium desiderat.

Affectio, quę infestat nobilem Matronã est symptoma, quod sequitur malam dispositionem matricis, in qua supernis & aliquibus principalibus partibus læsio communicatur, communicatur autem Cordi per arterias cerebro aliquando per neruos & membranas spinæ, Iecori per venas, atq; me iudice, ea est affectio, quæ præfocatio vteri nuncupatur, quæ cum quatuor eius sint tempora, principium, augmentum, status, & declinatio, nunc præsens in principio reperitur, in quo minus affligit, tribuit enim Cordis debilitatem, pedum & crurum frigiditatem & respirationem tantum difficilem, non autem ablatam, vt in augmento & statu; Talis autem præfocatio sequitur intemperiẽ frigidam & humidam vteri, & ratio est, quia cerebrum, Cor, ventriculus refrigerata fuere, quibus vterus semper suam intemperiem communicat, talis autem intemperies fit à causis tum internis, tum externis, internæ sunt illæ diminutæ purgationes à partu, quæ debebant esse copiosæ, quæ sapiunt naturam atrę bilis, vnde inducunt mœstitiam, refrigerationes, & stomachi vitia, istæ autem purgationes perueniunt ad vterum, sed ad interna ipsius ingredi non possunt, quia crassiores sunt, cum sint naturæ atræ bilis & adustæ à caliditate Iecoris, vnde per ora vasorum penetrare non possunt ac ita multiplicatæ, coarctatæq́., atq; etiam à regiminæ naturæ relictæ corrumpuntur, ac in pessimam substantiam mutantur habẽtem qualitatem quoquo modo venenosam toti speciei naturæ mulieris contrariam, à qua fumus eleuatur, vt ita dicam, venenosus, qui cum propter coarctationẽ non habeat

habeat vnde excludatur inferius, neccessario superiora petit,& cum pertranseat velociter per diaphragma facit difficilem respirationem, cum perueniat ad Cor, alterat eius calorem, ita vt adurat humorem melancholicum naturalem, qui ei approximet & vapores mittat in cerebrum; quod cum humidum sit est aptũ ad substinẽdos illos, qui propter adustionem sunt tenebrosi, vnde patiens timet de aliquibus non timendis & tristatur de quibus non decet, cum perueniat ad stomachum ingerit nauseam, inclinationem ad vomendum, tamen non fit vomitus, & facit frigiditatẽ, cum perueniat ad caput inficit cerebrum, vnde puncturæ,& dolor capitis, petit etiam aliquando venas dorsi & lumborum, vnde sentit ibi frigiditatem; diminutæ igitur purgationes à partu habentes naturam atrę bilis sunt causæ internæ proximę tamen&immediatæ sed principales. est sanguis melãcholicus ab hepate tamquam ab ipsius opifice genitus ad venas diuersarum partium & præcipue ad vteri venas traditus propter obstructiones ibi detentus, & ideo excitans superius enarratos affectus; Causæ externæ à quibus fomentum recipiunt causę internę sunt multiplicatio cibi & potus crassi & melancholici nutrimenti, exercitium dissoluens & non consumens dissolutum, quies multiplicans materiam; hęc omnia fouent crassitiem purgationum, erigunt intemperiem& auxiliãtur causis internis, verum quoniam in principio principij diminutè fouebant non poterant sanguinem expurgandum ità crassiorem reddere, vnde sanguis ipse poterat, quamuis difficultet, ad interna vteri ingredi
&

& per ora vasorum penetrare, ac si non extra corpus, saltem ad inferiora transire; propterea nõ est mirum, si illa de quibus conquærebatur, minuebantur, vel in in partu per purgationes; vel ante per tumorem pedi vel inguini inuadentem, vt in scheda; perseuerauere autem propter difficultatem in penetrãdo per ora vasorum & in transeundo ad inferiora; in præsentia vero sunt magis adaucta propter illud continuum auxilium & fomentum, quod recipiunt causæ internę, quę sanguinem magis crassiorem reddidere.

Pręfocatio matricis est difficilioris curationis, quę oritur ex semine potius, quàm quę oritur ex menstruo, quia semen interius detentum vel matrici iniectum non extra fusum ad maiorem malitiam deducitur, quàm menstruum. Hęc autem affectio cum sit orta à menstruo retento non est difficilis, non est tamen facilis propter humores inobedientes, propter tot partes principes patientes, ac tandem propter permutationes periculosas eminẽtes ad appoplexiam, cõuulsionem, furorem, & epilepsiam.

Humoris igitur melancolici, ac pituitosi quantitas est imminuenda, qualitas alteranda, obstructiones sunt auferende attenuantibus & incidentibus, iecur contemperandum, aliæ affectę partes corroborandæ, & vterus potissimum.

Quo ad chirurgiam sanguinem longe à mensibus per quindecim dies à vena brachij dexteri interna educerem, mox verò ipsis instantibus saphenam inciderem, quoniam ex Galeno de curandi ratione per sang. miss. suppressis mẽsibus semper ex pede sanguis

est

est mittendus, & inferius inquit in affectibus capitis ratione preseruationis ex pede; educeré ego sanguiné ex pede ratione curationis, sic enim facilius & obstructiones auferre, & menses mouere posse sperarem; vtiles sunt cucurbitulę coxis, & frictiones post tentata omnia remedia, adeo vt nulla alia spes susperfit elidendi materiam nisi igne consumente, vterer cauterio in coxa dextera; quæ omnia abhorrerem in mulieribus pręgnátibus, quibus aduenit talis dispositio, sed cum Serapione administrarem vnctiones ex oleis calefacientibus, & resoluentibus, vt de lilio & de been.

Quo ad pharmatiam leniatur aluus ellectuario lenitiuo & partiuncula hierę simplicis Gal. quia hiera detergit vterum. Pręparentur humores habentibus facultatem coquendi sine vlla purgandi virtute, quę erunt scrup. de betonica, de arthemisia, de capillo Veneris, decoctum pulegij, calamenthi, betonicę cicorei; verum & hic syr. est vtilis cuius compositio est: accipe melissę, buglossę, scolopendrię, eupatorij prasij, singulorum manip. vnum, radium petroselini asparagi, fœniculi, anisi leuistici, amomi macedonici, apij, sigulorum mędiam vnc. passularum vnc. vnam decoquantur & cum saccharo fiat syrupus.

Pręparati purgętur cum pillulis de hiera cum agarico, & cum pillulis fœtidis, ac si non sufficeret ad syrupum de polipodio compositú cum infusione agarici & rhabarbari accederem, abstinens à nimis validis ratione humoris melancolici, qui ex sententia Galeni benignè est euacuandus. Caput nasariis & masticatorijs purgarem, cor, ventriculum intrinsecus & extrin-

extrinſecus fomentis, inunctionibus, bolis roborarem, ad aquam Teturij per tres vel quatuor dies propinarem; vterum etiam roborarem intrinſecus cum conſerua ſaluiæ & præſertim cum diamarte propoſito ab Auicenna lib. 5. ſumma prima tractu primo frequenter tamen dato in potu cum aqua faſeolorum rub. & pauca ruta, hoc prouocat etiam menſtrua; extrinſecus cum fometo calidorum ſeminum carminantium, ac emplaſtranda ſunt duæ coxæ & inguina cum emplaſtro facto ex euphorbio, & pyretro & ſpuma, quæ aggregatur in circuitu canæ in mari, at ſi non quieſcat affectus adminiſtratio eorum eſt multoties iteranda, donec ſoluatur, ſic Serapione dicente. Ad decoctum tandem chinę deuenirem cum herbis Ventriculum, caput & vterum reſpicientibus in iure pulli factum. His correſpondeat victus ratio, in qua aer debet eſſe temperatus, cibus exſiccans facilis coctionis, taliſq; paruitas, potus, vinum album pauciferum poſt purgationem; ſomnus & vigilia moderata, potius inanitio, præterquam facta ex Venere, quã replectio, motus potius quàm quies, qui motus dum in cubile ſint frictiones, dum extra deambulationes matutinæ vel geſtationes in curru; animi accidentia cohibita, & hęc ad honorem & gloriam Dei Omnipotentis, qui eſt ſalutarium medicinarum reuelator.



CONSILIVM XI.

DE LIENIS OBSTRVCTIONIBVS.

NObilis iuuenis annorum 20. multis ab hinc mensibus durum tumorem patitur in hypocondrio sinistro in visceribus tamen internis statim infra costas mendosas, qui in dies incrementū accipiens nunc ad fundum ventriculi vergit, & ferè totum hypocondrium occupat, durior tamen est in superiori parte, ac sit in inferiori nullatenus tamen dolorosus, huic affectioni annectitur febris, & tertius nunc agitur mensis, quæ est adeo læuis vt cum nullū accidens febrile fuerit obseruatum ipse patiens non cognouerit incrementum vt in præsentia; verum vno ab hinc mense prædictis perseuerantibus superuenit destillatio sanguinis è naribus parum tamen perdurans, qua cessata lapso mense incidit in tantam distillationem, vt cogatur excreare, & expuere materiam crassam & viscidam ac ferè putridam cum tussi & spirandi difficultate, verum his perdurantibus succedit dolor circa mamillam sinistram sine vllo apparente tumore & aliquando circa alteram mamillam se extendens medicamentis calidis applicatis cedens; color in plumbeum vergit; odit societatem; vixit incōpositissime in quantitate, qualitate & tempore cibi, vsus est fructibus, cibis crassi succi, aluus est lubrica, bene appetit bene dormit, & quærit auxilium.

Tres sunt affectus Tumor, febris & catharrus, quorum præcipuus est tumor, dato enim ipso alij egressi

fuere, qui cum sit in visceribus internis hypocondrij sinistri statim infra costas mendosas, me iudice, est oppilatio seu emphraxis splenis, quæ est clausio meatus, qui est ab hepate ad ipsum splenem, quippe meatus, & cauitas naturalis redditur angustior repletur & clauditur præter naturæ institutum; verum cum Lien ex multis constet partibus, scilicet ex cauitatibus in substantia, ex meatu, qui est ab hepate ad se ipsum & tandem ex meatu qui est ab ipso ad os stomachi; obstructio igitur non est in cauitatibus substantiæ, lienis, siquidem cauitates in substantia visceris non sunt tales, vt possint obstrui cum reperiantur in ipso spatia quædam veluti in reliquis partibus vix sensibilia ac tantum ratione comtemplabilia, quæ si repleantur præter naturam minime obstructiones, sed potius tumores efficiuntur, doctrina est Galeni in lib. de const. art. med. cap. 17. & in lib. de causis & differentijs morb. cap. 17. verum si talis tumor diceretur obstructio nõ diceretur emphraxis, sed coarctatoria obstructio, talisq; dicitur quando est inueterata per annos, non autem per menses, vt præsens, nec obstructio est in meatu, qui est à splene ad os stomachi, in ea enim debilitatur appetitus, & patiens noster benè appetit; quare solum est in meatu, qui est ab hepate ad ipsum splenem, talis enim obstructio est causa febrium cronicarum quibus facilè assotiatur hectica; habet autẽ patiens febrem cronicam, me iudice, dictam à Græcis typhodem, cuius causæ aliæ sunt internæ, aliæ externæ; internę quarum efficiens causa est virtus expulsiua, quæ est calor naturalis in gradu determinato ca-

loris

loris verum ab eodem gradu defectus idest debilitata, & ideo in latitudine naturalitatis, idest in gradu indeterminato caloris, qui calor modo vnum, modo aliud ab actione nomen deficiendo consequitur, vnde virtus expulsiua debilis, quæ est calor naturalis deficiens à gradu determinato caloris expellentis, nõ expellit atram bilem fœculentum humorem deriuatum à meatu qui est ab hepate ad Lienem, ac ille isdẽ calor naturalis deficiens à determinato gradu subtiliantis vt virtus digestiua debilitata non subtiliauit illum eundem sanguinem fœculentum; verum isdẽ calor naturalis deficiens à gradu determinato tam expellentis quam subtiliantis nec est deficiens, nec excedens gradum determinatum attrahentis, & retinentis, quia dum expellit, retinet vt virtus retentiua, dũ verò non subtiliat, attrahit vt virtus attractiua, Causa formalis est obstructio meatus, qui est ab hepate ad Lienem; Causa materialis est atra bilis fœculentus humor à iecore deriuatus constipans non minus, quàm id quod glutinosum est si per meatus angustos & trãsitus multò profectò magis retinetur, quod sępe euenit in turba hominum, qui affatim simul irruentes in angustam viam sibi mutuo sunt impedimento. Causæ externę sunt alimenta in quantitate, qualitate & tempore incompositissimè sumpta, quæ internis auxiliantur, immo errigunt caliditatem iecoris causam materialem internam generantem, quare non est mirum si adsit febris propter calorem Cordi communicatum in eodemq; accensum, ac per totum corpus diffusum, febris vero typhodes propter eundem calor-

ſepultum, craſſumq; humorem, ac ſine vllo incremẽtõ propter paroxiſmos tardos & occultos hecticæ aſſimilantes, ſi fuerit deſtillatio ſanguinis è naribus propter multitudinem, craſsitiem & lentorem humoris melancholici, ſi habeat colorem plumbeum propter pręſentiam eiuſdem humoris, ſi odit ſotietatem propter vapores melancholicos ventriculos Cordis & cerebri ingredientes, ac tandem ſi cogatur expuere materiam craſſam, viſcidam, ac ferè putridam cum tuſſi & difficultate reſpirationis propter læſionem capitis habitã à Liene, Lien enim dat capiti lęſionem per neruos, quos habuit à ſobole ſexti paris neruorum cerebri & quoniam multa materia deſtillata, quæ in partibus ſpiritalibus reperitur, à calore agitatur, ex illaq; agitatione flatus eleuantur, vnde dolor modo circa vnã, modo circa alteram mamillam exiſtens; nec mirum tandem erit ſi patiens macreſcat plus in ſuperioribus corporis partibus ac maxime collo & gula quanto plus magnificatur ſplen, propter læſionem à ſplene, qua complexio hepatis corrumpitur, & eius virtus digeſtiua minuitur, vnde totius corporis temperies corrumpitur, altera eſt ratio Hipp. in lib. de aere, aquis & locis quę eſt, quia Lien tumidus trahit ad ſe omnes ferè corporrs humores & bonos & malos, cum corpus igitur remaneat alimento neceſſario priuatum, contabeſcit.

Cuius affectus curatio non eſt impoſsibilis quia nõ eſt obſtructio coarctatoria inſenſibilis, quæ ſcirrhus appellatur, vt ait Gal. in lib. 2. art. curat. ad Glauc. cap. 4. ac ſi ſit poſsibilis, quia non eſt affectus inueteratus

ratus quem quidam dicunt esse inueteratum cum transit annum, alij septem annos, non est tamen difficillima quia non est coarctatoria obstructio sensibilis non multum distans ab inueteratione, est solum difficilis cum sit affectus validior, quia tãgitur tumor; non recens quia habet multos menses, in corpore debili, quia cogitur decumbere, & non sine febre quia adest typhodes. Pro hac igitur curatione totum corpus prius est vacuandum, pro impediendo fomento loci affecti, deinde materia contenta in loco affecto cum sit dura vt euacuetur & dissipetur, primum est mollienda cum molliẽtibus solum, deinde cum mollientibus & resoluentibus simul tandem cum resoluentibus solum, & partes corroborandæ.

Ad Chirurgiam quod attinet secarem venam saluatellam dexteræ manus, extraheremq́; vncias quatuor sanguinis pro generali euacuatione, diuersione, & reuulsione contra eos, quos miratur Galenus in lib. de sang. miss. cap. 16. & fatetur se non potuisse intelligere qua de causa medici Lienosis mittere sanguinẽ neglexerint.

Post generalem vacuationem perfunderem alias vncias quatuor ex eadem vena alterius manus sinistræ, vt facile trahantur excrementa ad illam partem, tamquam ad suum emunctorium vt ait Franciscus Valesius lib. 7. controuersiarum cap. 3. extremę enim corporis partes internarum partium sunt emunctoria naturalia, ait ipse, non tamen indifferenter omnium, sed earum cum quibus habent rectitudinem, sicut habẽt manus cum hypocondrijs, dextera cum Iecore,

sinistra

sinistra cum Liene, cum ergo excrementa cuiuscumq; membri naturaliter ferantur ad illius emunctorium, & quò natura vergit per loca conferentia eò ducere oportet, idcirco expedit, laborante Liene, venam in sinistra manu secare; hanc opinionem Valesij sic cõmemorauit Alexander Massaria; verum si accidat, vt medicamentis affectio non cedat, laudarem, funticulũ in coxa sinistra, extollens interim laudibus vstionem Lienis quasi cauteria Hip. in lib. de affect. internis in scirrho.

Quo ad factam pharmatiam fuit aluus lenita tribus vnciis mannæ & duobus mellis viol. sol. in decoctione pectorali. Pro præparatione, quæ consistit in attenuatione, incisioneq; materiæ, fuit decoctum ex cichoreo, boragine, farfara, cetrach, capillo Veneris, quo vna cum vncia vna oximellis simp. patiens vsus est, & nunc habet dolorem circa mamillam ablatum, catarrhum remissum, febremq; diminutam; Ab hoc leuiori medicamento nunc ad validius progrederer, quod habeat facultatem concoquendi sine vlla purgandi virtute, ne coctioné impediam, hoc autem medicamentum est duplicis generis aliud humidum, postremum acidum, humidum est decoctum in iure factum non ex superioribus herbis tantum, sed etiam ex folijs tamarisci, radicibus fœniculi, apij, petroselini cuius decoctionis vncias quatuor exhiberem simul cum vncia vna syrupi bisantini, & media vncia oximellis compositi. Aridum vero sunt trochisci de capparibus de eupatorio, ex quibus sint pilulæ, quæ assumuntur cum syrupo. Pro purgatione cum iam sit cõ-

cocta

cocta materia darem syrupi de polypodio compositi vncias tres, ellectuarij Indi maioris drach. tres dissolutas in decocto supra dicto; verum si minus abhorreret bolos, darem hieræ dyacoloc ynthidos drach. vnã & mediam, agarici trochiscati scrup. vnum cum syrupo de fumo terræ composito bolos efficerem. Facta vniuersali vacuatione semel & bis atq; iterum repetita, si non sufficiat, vt quod non potest obtineri medicamentorum virtute, obtineatur saltem vsu & diuturnitate, ad particularem locum affectum est deueniẽdum, primum cum emollientibus solum & intus & extra. intus acciperem ammoniaci drach. vnam, bdelij drach. mediam & quinque pilulas efficerem, ex quibus vnam omni mane exhiberẽ; extra multa sunt emollientia, vt ammoniacum, bdelium, styrax, Thymiama, galbanum, diuersa pinguedinum genera, vt medulla ceruina, vitulina, adeps caprinus, Thaurinus, anatis, anseris, gallinæ, oesipus, in officinis emplastrũ de meliloto, vnguentum dialtheę, diachylon magnũ, lutum Pauij D. Bartholomei, inter hæc omnia optima eligerem emplastrum de meliloto, aut diachylon magnum post vnctionem olei sabini, in quo radix altheæ & siluestris cucumeris sit incocta. Post emollientia solum, est deueniendum ad emollientia & resoluentia simul, quæ & intus sunt accipienda & extra sunt adhibenda; quæ intus sunt trochisci de capparibus, de eupatorio & alia huiusmodi, quæ extra ponerem emplastrum Galeni in 2. ad Glauc. cap. 7. quod fit ex radicibus cucumeris agrestis, brioniæ, dracontij, altheæ in aqua coctis, & post coctionem contusis cum adipe

anserino,

anserino, vel gallinaceo, vel suillo caricis pinguibus & farina; post diem remouerem emplastrum, & fomentarem locum cum aceto & decoct. tamarisci, & scolopendræ, prassij abscinthij, Camedrios, camepitheos, corticum radicũ capparorum, sauinæ, corticũ mediastini fraxini, summitatum lauri, camomillæ, & meliloti: deinde abstergerem & superponerem ammoniacum in aceto dissolutum, & dimitterem vno die, postea illud remitterem & superponerem emplastrum dictum, & dimitterem vno die, eoq; remoto fomentarẽ, & deinde denuò ammoniacum apponerem, & dimitterem die vno, deinde remouerem, & iterum emplastrum apponerem: & sic prosequerer vno die cum emplastro, alio cum fomentatione spatio octo dierum. Tandem deuenirem ad resoluentia solum, quæ etiam adhibentur intus & extra, intus sunt salsa perilia, aut lignum guaiacum, aut china, sasafras, & alia huius generis; extra erit emplastrum Democrati, dictum à Galeno in 6. de com. med. per gener. in fine, quod est tale, Accipe salis lib. vnam, cerusæ, chalbani, aristolochiæ, propoleos an. Vnc. duas, olei veteris lib: duas & s. a. f. ceratum, quod ponerem super splenem, non remouerem donec liberetur.

Pro tandem corroboratione sublimis iuuamenti erit Theriaca, aut mithridatum], quæ omnia frustra, quamuis ita valida, vt possint etiam cõuenire obstructioni coarctatoriæ, si recta victus ratio non adhibeatur, pro qua aer sit temperatus, cibus sit facilis digestionis, inter cibum & cibum non sit potus, pro potu sit vinum tenue, vel aqua chalibeata, ob cuius aquæ

vsum

vsum canes fabrorum ferè carent liene inquit Celsus, vt experientia probatur; motus sit ante cibum post quem laudatur quies, somnus diurnus, vigilia nocturna fugienda, alui excrementa respondeant cibis, tristitia, timor, & solitudo vitentur. Hæc sint ad honorem Dei Omnipotentis, quem huius sanitatis largitorem præcor.

CONSILIVM XII.

DE HYDROPE.

NObilis Vir annorum 40. hepatis calidioris cũ ante annos concubuerit cum muliere morbo gallico infecta post longam febrem multosq; errores in victu, incidit in leuem pedum tumorem laxum & mollē, cum pauca difficultate spirandi, verum paulatim adeo adauctum, vt vestigium digiti impressi parum remaneat nocte, mane autem bona ex parte euanescat; deinde procedente tempore totus ęqualiter quasi intumuit, & habet carnes similes cadaueri, febris sępe lenta concurrit, largiorem potum appetit, cibos fastidit & fit tristis & mæstus, quare huius morbi salutaria quærit remedia.

Quoniam Vita in calidi & humidi proportionata mensura consistit, prouida natura prouidit de nutritione, vt humidum, quod patitur resolutionem restauretur, & calidum in proportionata mensura conseruetur, nutritio autem fit cum alimento, cui nutritioni inseruit coctio, quę cõsistit in quodam gradu calidita-

tis, si igitur caliditas illa, pręcipue, quę in hepate tamquam eius officina reperitur à suo statu naturali deficiendo recedat, tunc proportionata mensura calidi & humidi dissoluitur, nutritio minuitur, hinc membrorum tumor, hinc tandem Hydrops, quod idē contingit caliditati hepatis nobilis patientis nostri, quę à suo statu naturali deficiendo recedit, ob errores in victu, vnde coctio famula transmutationis alimenti recedit per omnes gradus recessus à naturalitate, recedit per primum gradum vnde fit transmutatio alimēti in pituitā, per secundum in flatus, per postremum in aquā, qui recessus in vnoquoq; gradu tam separatim, quàm coniunctim est opus sequens vitiatam actionē sanguificatricis, symptoma nimirum actionis, & appellatur Hydrops, quæ ratione etiam affectus tumoris scilicet præter naturam, qui fit ab ipsa aqua potest etiam dici morbus primo in temperatura per affluxum, deinde in compositione per obstructionē meatuum, in figura per tumorem pręter debitam figuram, in quantitate per ventrem magnum, in numero per plurem aquositatem pręter naturalem, aut materiam mixtam pręter naturalem, qui cum sit genericus continet triplicē materiam mixtam, & confusam, pituitā scilicet, flatum, & aquam, verum à vincente materia nomen deinde consequitur, in hoc hydrope vincit pituita, quare à pituita consequitur hoc nomen quod dicitur Anasarca, quia incipit cum tumore pedū quod non accidit Asciti nomen ab aqua habenti, nisi in morbo increscente, neq; Tympaniti quia nomen habet à flatu; æqualiter tumor est per totum corpus minime autem in ascite

&c

& tympanite, in vtroq; enim venter magis intumescit, tumorem laxum & molem, in quo relinquitur fouea digiti impressi, carnes similes mortuo, sunt accidentia soli anasarcæ inhęrentia, verum febris lenta, sitis, fastidium çibi, & tristitia sunt accidentia cõmunia. Est autem febris, quia cum frigiditate stat sæpe caliditas ignea ex varia humorum putredine & præcipue aquæ citrinæ, quæ redundat propter obstructiones, quę febris appellatur à Gręcis Typhodes, à Latinis Latica. Est verò lenta propter materiæ frigiditaté, quãuis materia corrupta sit; est sitis, quia ex omni materia hydropis consurgunt vapores corrupti mali ad os vẽtriculi & ex eis congeritur in eo aquositas mucosa, vnde accidet eius exsiccatio multa. Est difficultas spirãdi quia coarctatur diaphragma ex repletione ventris inferioris; est fastidium cibi propter vehementiam sitis, est tandem tristitia, quia est casus virtutis, quæ nunquam potest esse valida, vbi est dominium pituitæ; talis igitur Anasarca dependet à causis antecedentibus & primitiuis; causæ antecedentes & præcipue causa efficiens est caliditas Iecoris deficiens idest frigiditas, dicat quicquid velit Hier. Cardanus non quidé positiua idest per essentiam & per naturalem dispositionem hepatis, sed solum priuatiua quæ cum tribus modis dicatur priuatiua, primo modo propter cõtrarij admixtionem, quando potu aquæ frigidæ vel vsu venereorum calorem extinguente Iecur refrigeratur; secundo modo propter suffocationem quando vini copia obrutus calor Iecoris minuitur. Tertio modo propter pabuli subtractionem, quando à magna febre

absumpto alimēto caloris natiui ille minuitur, est priuatiua primo modo, quia ex potu copioso ventriculus contrahit frigidam intemperiem eam contractam facile communicat venis mesenterij, à quibus vnà cū illis omnes venæ, quæ in caua Iecoris parte sunt, refrigerantur, à quibus sursum in totum Iecoris corpus intemperies tribuitur & ab aura gallica ex mulieris concubitu infectę contracta imprimitur, ex cuius pressione forsam erigitur frigiditas positiua; Causa materialis est materia frigida mixta & confusa verum pituita appellata propter redundantiam, quam habet inter flatum & aquam; Causa formalis est ipsa essentia Anasarcæ, quam sua definitio declarat.

Causæ primitiuæ sunt errores in sex rebus non naturalibus, in aere cnm maneat in cubiculo cuius pauimentum est humidum & aer frigidus & aliquando se exponat aeri nocturno; in cibo quia vtitur aliquando cibis infrigidantibus, & humectantibus, in potu quia in non sua hora maxima copia aquæ frigidæ vsus est; in inanitione, quia nimium coitum exercuit, & habet auram gallicam ante aliquos annos contractam, quæ statim occupat hepar, in quo mala forma imprimitur, sicut varia est natura recipientis ita varia forma recipitur, quæ in aliquibus depilat, in alijs vlcerat, in nonnullis dolores facit, in alijs brachia, in alijs crura, in alijs caput occupat secundum imbecillitatem mēbri; verum hæc aura statim spirauit in hepar, ibiq; immobilis manens fixam stabiliuit formam, sumpta occasione ab erroribus hepar inficientibus, qui errores fouent & conseruant causas internas hydropem facientes;

cientes;qui hyrops ratione affectus est morbus grauis quia vt inquit Rhasis malum est cõmunicatum in venis, & in curanda ægritudine inquit Arteus opus est totum hominem renouare, quod est opus solius Dei; ratione autẽ causæ morbus est difficilis, vbi enim mẽbra in quibus calor naturalis est sedes, vel materialiter vel formaliter refrigerata fuere difficulter calefiũt, cum natura deficiat, cuius medicus est minister, verum quoniam tussis non superuenit hydropi vt apud Hip. 6. Aphorismorum 35. & 7. Aphorismorum 59. sed præcedit, nec superuenit febris acuta ex Hip. 2. prognosticorum nec est fluxus vẽtris symptomatius; & virtus non est debilis, ideo spem salutis concipio; Pro qua materia primum communis deinde particulario est vacuanda, membra à quibus malum oritur sunt corrigẽnda, ne noua materia in posterum generetur, qualitas gallica est aufferenda, præstabuntur omnia medicis instrumentis.

Ad Chirurgiam quod attinet, quamuis expedit in anaxarca mittere sanguinem, minime autem in ascite, & tympanite vt inquit Gal. in 4. de ratione vict. in morb. acutis, com. 111. quia in hydrope quæ generatur propter plenitudinem, calori natiuo contingit quod contingit igni, ignis enim multis lignis & humidis ferè extinguitur, nisi multitudo substrahatur, ita calor natiuus in sanguine frigidiori ob copiam ferè extinguitur, præstantissimum est remedium sanguinis missio, tamen quia ralis anaxarca non habuit initium à retentione hæmorrhoidum aut narium, ideo omitterem omnem sanguinis missionem, sunt

scari-

ſcarificationes,cauteria,veſsicatoria, tandem perforatio abdominis & ſcroti; ſcarificatio humorem profuit inquit Gal. ex Archigene in lib. 9. de comp. med. ſecundum locos cap. 3. quæ erit facienda ſupra talum ſpatio quatuor digitorum, vt ait Aetius in lib. x. cap. 13. eritq; vtilis in hac ſpetie cauteria,veſsicatoria perforatio abdominis, & ſcroti ſunt apud Arabes familiaria, quæ libenter omitto, quia per aliqua poſſunt vlcera accidere incurabilia; per alia vero ducitur aqua ſimplex,quæ ſic non adeſt in morbo præſenti.

Ad pharmatiam quod attinet ante omnia lenienda eſt aluus medicamento per os ſumpto non autem clyſteribus, quia non cõueniunt in anaxarca cum ſint ab inteſtinis remota vt monuit Auicenna, ſed ſolum in aſcite & tympanite in quibus materia eſt inteſtinis proxima, hoc medicamentum erit hiera ſimplex in forma electuarij,quæ præter euacuationem iuuat intemperiem,& viſcera corroborat euacuat ſuperfluitates,non euacuando innatas humiditates,&non habet vim adſtrigẽdi, à qua vi vbi ſunt obſtructiones eſt cauendum.Doſis hieræ integra eſt drachmæ tres, verum exhiberem drach. vnam& mediam cum velim ſolum euacuare ventriculum; deinde aperiendæ ſunt viæ ante humorum euacuationem, quamuis non ſit corũ concoctio attendenda,cnm ſint tenues&aquoſi vt docet Gal. in libello, quos & quando purgare oportet: aperiuntur autẽ viæ trochiſcis de abſcinthio,de agrimonia,de capparibus, Auicenna probat ius galli decrepiti cum polypodio & anetho,quod poteſt obſtructiones auferre, meatus aperire; ſuccus abſcinthij

clari-

clarificatus ad vncias tres pro vice datus in omnibus sex matutinis temporibus habet prærogatiuam in aperiendo & corroborando ea corroboratione, quæ est per reductionem ad naturalem habitum, habet enim vim adstringendi, quæ est ad tonum virtutis & stomachi est hepatis excellentiam addentem, habet acerbitatem magis, quam amaritudinem ad aperiẽdum, digerendum & tandem abstergendum; præter mitterem alios syrupos aperitiuos humiditatem habentes; apertis vijs ad valentiora medicamenta purgantia progrediar, inter varia & multa mihi placet elaterium; quo licet omnes vtantur in ascite & tympanite, ego tamen vtor etiam in anaxarca permixto cum mastice & syrupo de mentha verum in educenda aqua thermarum cum saccharo rosato pro correctione elaterij, vnde exhiberem elaterij grana sex, mastici totidem cum syrupo de mentha ad bolum conficiendum, iterarem hoc medicamentum post decem dies, & interea sedulo alterationi studerem cauendo à frequẽtia vt docet Gal. in 9. de med. comp. secundum locos ex Asclepiade; non auderem vti antimonio, squama æris cum aliquib⁹ medicis quos vidi aliquãdo vti quoniam scio esse deleteria & noxia ex Galeno 4. meth. med. 7. nec mihi placent aquæ thermarũ in calidiores, quamuis eas Gal. probet in primo de simp. med. 7. quia obseruaui in experientia vel nihil iuuare, vel quandoq; insigniter lædere. Verum si æger nequeat, vel nolit soluentia medicamenta perferre, est vnguentum de arthanita, quod seruant officinę paratum, quo vngitur imus venter, cortices ebuli, radi-

ces cõtusæ cum drachma vna elaterij ad imum ventrẽ appositæ solent, vt vidi, educere serosos humores, cæterum venter est inaniendus non solum per medicamenta purgantia, sed etiam per prouocantia vrinam & sudorem, prouocantia vrinam dupliciter solent administrari, vel decocta, vel eorum substantia, à decoctis libenter abstineo, quæ quamuis teneant substã-tiam transfusam, per quam liberè exeunt, tribuunt tamen humiditatem, quæ in hoc casu est fugienda; exhiberem igitur eorum substantiam in forma pilularũ, præcipue seminum Dauci cretici scrup. duos, cinnamomi, spicæ singulorum scrup. medium, ac cum succo apij conficerem pilulas tres, quas mane deglutiat patiens etiam reiterando. Prouocantia sudorem sunt vrinam prouocantia, quia sudor eandem habet materiam quam vrina, nolim ego ordinare exercitium sub sole, cooperculum arenę, ingressionem in furno calefacto aut in aceruo fermenti calefacti, talia enim prę-sidia rusticis ordinantur; verum ingressum in fouea agri patauini est ratio prouocandi sudorem cæteris anteponenda.

Vacuata materia manifeste & sensibiliter, etiam latenter & insensibiliter est purganda, cuius affectus est ablatio & discussio materiæ particularis, quæ fit medicamentis internis & externis, interna sunt sales theriacales, trochisci de vipera, ex vnoquoque per se exhiberem mane drach. vnam facto bolo cum vino, vel cum succo agrimoniæ, qui habet vim discutiendi; ex theriaca, ex mithridato potest confici bolus, ijs tandem addo cum recentioribus decoctum salsæ,

chinæ,

chinæ,& ligni ſancti. Externa medicamenta ſunt liniméta,emplaſtra,fomenta,&cerata,inter hęc omnia valde probo cum Galeno in 11.de ſimp. med.cap. proprio emplaſtrum factum ex cochleis tritis cum teſtis & toti ventri impoſitis, quod valde prodeſt, educit, & mirabiliter exſiccat, dum ſinam quo ad ſponte cadat; hoc ſæpe adhibeo emplaſtrum accipio ſemina aniſorum ad drach. vnam cum eadem quantitate garyophilorum,diachylon cum gummis ad vnc. tres & omnibus ſuper corium extenſis applico toti corpori, ab ore ſtomachi vſq; ad vmbilicum, ijs hoc vnum poſtremo loco addo lotiones aquarum thermarum agri patauini multum prodeſſe, ac eius lutum vt Sáčti Bartholomei tamquã emplaſtrum eſt remedium præſtátiſſimum; Pro hepate cum ſtomacho corrigendo ne noua materia generetur ſunt medicamenta, quę poſſunt ventriculum & Iecur calefacere,exſiccare & corroborare, qualia ſunt illa medicamenta latenter euacuantia & diſcutientia ſuperius propoſita vt ſales theriacales, trochiſci de vipera,de agrimonia, de capparibus, inter quę ſuppremum locum tenet cõfectio cyphoides a Gal.propoſita in 8. de comp.med. ſecũdum locos. Verum vnum & idem medicamentum non longo tempore exhiberem,ſed alternatim modò vnũ, modò alterum mutarem,ne natura vni medicamento aſſueſcens illius vim diſcat negligere, quod eſt præceptum Auicennæ.

Pro qualitate gallica auferenda illa medicamenta diſcutientia ſuperiora ſunt efficaciſſima.

His omnibus victus ratio eſt addenda,cui medicus

in primis debet adhęrere vt ait Gal. 11. meth. cap. 3. quia est præstantior alijs instrumentis, etiam ipse in lib. experimentorum cap. vlt. in qua aer eligatur calidus & siccus, & si non erit inducendus est arte nostra aromatibus scilicet, igne lignorum iuniperi, lauri, laricis, cupressi.

Panis sit cum furfure, cũ seminibus anisi, fœniculi, & biscoctus, carnes sint facilis coctionis paucę superfluitatis sero assatæ, mane ellixæ potus sit vini maluatici quanto fortior, tanto vtilior, aqua sit interdicta; inanitio iuuat præterquam facta ex Venere, coitus enim & si exsiccet plus tamen nocet debilitando calorem naturalem; repletio fugienda; somnus sit nocturnus & breuis, vigilia iuuat. Exercitium magis conuenit quam quies, sit tandem lætitia, quia tristitia humectat, furiositas & indignatio suffocant calorem naturalem. Et hæc volui dixisse in nomine Clementissimi IESV, cuius fauore spero hęc remedia pristinam sanitatem esse datura.

CONSILIVM XIII.

DE VARIOLIS.

Nobilis Iuuenis annorum 18. fusci coloris, hepatis calidioris, Viro lue gallico infecto per aliquos menses iuncta cum per duos menses vtero gestet cœpit conqueri de febre ardente cum oculorũ ardore, in tertia die superuenere paruæ punctaræ in tota cute diffusæ aliquod spatium habentes,

in

in quarta die licet abortiuerit copiosorumq; fluxioné mésium habuerit, apparuere tamé aliç puncturę magis eleuatæ, maiorisq; quãtitatis, spatium non habentes, quibus augentibus superuenit gutturis, nariumq; dolor cum oculorum pruritu & desiderat auxilium.

Quatuor sunt membra nostri corporis principalia, quorum alia sunt pro indiuiduo, alia pro spetie cõseruanda, quæ pro indiuiduo sunt Cerebrum, Cor & Iecur, quæ pro spetie sunt genitalia, inter quæ est Vterus, in quo semen conuertitur in embrionem ac pro embrionis nutrimento, sanguis valde laudabilis trãsmittitur, cum vero vterus in conceptione embrionis sit immundus, immunditia talis miscetur, affigiturq; sanguini qui illuc peruenit pro embrionis cibo, vnde ex sanguine illuuie mixto nutritur embrio & inficitur, & quanto vterus est immundior, tantò magis immunditia sanguini affigitur, ab ipsoq; embrio inficitur, ille vero embrio hanc infectionem recipiens rectificat eam in quantum potest, & id quod non potest remanet in corpore & moratur, ista mora semper est quousq; egrediatur ad lucé fœtus, ac aliquando adeo multum moratur vt in aliquibus seruetur ad iuuentutem, in qua postea expellit infectionem perfectè seruatam in locis iuxta cutem à membris principalibus separatam, ac inde variolæ, aliquando appetitus comedendi lutum carbones & similia, aliquando morbili, & Aluhumeta quemadmodum in præsentia contingit Patienti nostræ, cuius calor naturalis cum sit nunc viuidus & fortis irritatur contra infectionem in vtero contractam & præualuit etiam contra eam,

quia expulit humorem illum malum & nociuum, vnde patitur in præſentia me iudice, morbilos & Aluhumeta, differunt autem inter ſe in quantitate continua & diſcreta & in cauſis, & in quantitate continua quia morbili ſunt diffuſi in cute & ſunt veluti punctura paruæ quantitatis, Aluhumeta verò, quæ ſunt de numero Apoſtematum Bothoralium ſunt magis eleuata ſupra cutem, & ſunt puncturæ maioris quantitatis; in quantitate diſcreta quia morbili habent aliquod ſpatium inter ſe, Aluhumeta vero non habent ſpatiũ; in cauſis, quia morbili proueniunt à materia colerica, Aluhumeta vero à materia ſanguinea; non reperiuntur in præſentia Variolæ, quia quo ad quantitatẽ continuam habent eminentiam & latitudinem; quo ad quantitatem diſcretã habent ſpatium notabile inter ſe, & quo ad cauſas dependent à ſanguine, ſed minus craſſo quam Aluhumeta; in vtero embrioni non accidunt irritamenta nimirum morbi, quia materia paulatim congeritur, & imprimitur parum poſt parum, & aſſuefit membris fœtus, vnde malitia lędens non percipitur, ac maximè cum adhuc parua ſint membra in vtero non dum perfecta nec virtutibus fortia maximè in virtute expulſiua, quare non irritatur contra ipſam & ſi irritetur non præualet contra eam; quorũ cauſæ aliæ ſunt internæ, aliæ externæ, internæ & pręcipuè cauſa efficiens eſt calor, & internus, ideſt naturalis, & externus ideſt præter naturam, qui facit hanc ebullitionem, quę non eſt de genere putrefactionis facientis febres putridas aut corrumpentis membrum, ſed eſt de genere ebullitionis per quam partes

adin-

adinuicem separantur, quæ accidit succis fructuum & herbarum, vt in mustis vinorum, quę ebulliunt quãdòq; ex calidate propria, quandoq; ex aliena; Causa formalis est ipsa ebullitio; Causa materialis est immũditia, seu spurcities biliosa & melancolica in vtero cõtracta & forsitam in tempore acquisita ex ciborum superfluitatibus in sanguinem non mutatis in membris remanentibus putrefacientibus & spatio plurium dierum attritis & attenuatis, vereor autem propter duas causas quarum prima est quia est Iuuenis, quæ antea edebat & potabat cum regula in quantitate qualitate & modo vsus, nunc sine regula se gerit, quia vsa est vinis generosis sine modo & mensura; altera causa est quia alias Variolas passa est; cum igitur bis eueniunt hi affectus vt plurimum semel eueniunt ex malitia acquisita in matrice & semel in tempore; verum si ter accidant tunc bis veniunt ex malitia contracta in vtero, semel in tempore; at malitia quoquo modo acquisita non potest in senioribus causare hos affectus, quia non potest talis malitia tanto tempore latere, quin moueatur, aut si lateat assuefit illi natura, vt non curet de ipsa, neq; agitet eam ad motum. Causæ externæ sunt errores in rebus non naturalibus, vsa enim est aere calidissimo, dum manet in thalamo igne alterato, modo frigidissimo dum exit, (hiems enim est) edit, bibit sine ordine in quantitate, qualitate, & modo vsus, quæ omnia fouent calorem & spurcitiem & cõgenerant hos affectus, qui cum accidant omnibus membris & apparentibus & occultis etiam velaminibus & neruis, & fiut de numero apostematum borboralium;

ralium, & aliquæ habeant colorem nigrum, qui color significat vehementem sanguinis adustionem, calorisq; naturalis extinctionem & præsertim cum apparuerint die non critico & si non ante febrem saltē cum ipsa, sunt maxime periculosi Rhasi d cente 18. continentis, & eo magis, quia sunt (vt suspitio est) cum lue gallica copulati; non abstinerem tamen, ne solo prognostico patientem relinquerem, à curatione; pro qua, materia peccans ad exteriora est deducenda, quæ tendit ad superiora est diuertenda, quæ remanet post digestionem est euacuanda, accidentia consequentia sunt corrigenda, quæ tandem exterius sunt exsiccanda, quæ omnia præstabuntur medicis Instrumentis.

Ad Chyrurgiam quod attinet, quoniam menstrua apparuere & statim se occultauere in principio febris, in quo non dū egressi fuere morbili, & omnes ignorabant ipsam esse vtero gestātem extractus fuit sanguis ex vena saphena pedis, vnde morbili & Aluhumeta celeriter egrediuntur, menstrua rediere, in quarta tādem patiens abortiuit cum multo purgationum fluxu; non auderem aliam Chyrurgiam adhibere, nisi in maturatione vsum foliorum absinthij frequenter agitando, qui gerit vicem frictionum.

Ad pharmatiam quod attinet lenirem aluum cum fl. cassiæ rec. ext. vncia vna, pulpæ tamarindorum drach. tribus, pil. sem. citri scrup. vno; pro diuersione materiæ tendentis ad superiora sunt purgationes mensium.

Pro ducenda materia ad exteriora erit decoctum quod obstructiones etiam tollit, quale erit Recipe

violarum drach. duas, liquiritiæ vnc. vnam, totidē passularum, tantumdem hordei, radicum apij, fœniculi, vtrorumq; aquę drach. vnam, lachę ablutę drach. duas, caricarum numero sex. m. f. decoctio, & cum saccharo syrupizetur: quod decoctum exhiberē ad vnc. vnam & mediam manè, & serò; hoc enim decoctum compescit ebulitionem, & factum cum caricis albis & citrinis est vehementis expulsionis ad exteriora; materiam, quæ remanet post digestionem euacuarem aut syrupo violato solutiuo & electuario lenitiuo cū decoctione tamarindorum, aut in bolis cum pulpa tamarindorum & flore cassiæ & puluere liquiritiæ.

Pro accidentium correctione, quæ accidunt membris, membra autem, quæ præseruatione egent à nocumento variolarum, morbilorum & Aluhumatorum, sunt oculus, guttur, nares, partes oculorum superiores, oculus, pulmo, & intestina. Quo ad præseruationem oculorum est collirium defendens oculos ab illorum euentu, quod est tale, Recipe pulpæ granatorum nō vehementer expressorum sed parum quod de humiditate remaneat in ipsa, sumach, mirtillorū, coriandri præparati singulorum drachmas tres, terātur & in mortarium infundantur agitando cum aqua plantaginis, & rosata, vel cum aqua mirti & coriandri, & coletur, & in ista colatura dissoluantur scrupulus medius croci similiter & camphoræ, & media drachma cerusæ agitentur bene, iterumq. colētur, & de hac colatura in oculis ponantur duæ vel tres guttæ in diem sępe; guttæ in oculis positæ ex collirio facto ex vncijs duabus aquæ rosatæ & ex drachmis duabus

sumach,

ſumach, defendunt oculos ab eorum euentu; in euētu autem & poſt euentum, exitumue eſt inſtillatio aquæ calidæ in oculis diſſolutum ſit antimonium ac per ſex horas ſit infuſum coriandrum ſiccum, poſtea colatæ ac tandem poſitum ſit puſillum camphoræ. Poſt tandem manifeſtum exitum ſit cum mirrha inſtillatio. Quo ad præſeruationem gutturis eſt tale gargariſma. Recipe fol. plantaginis, roſarum, acetoſæ, ſingulorum manip. medium, balauſtiornm drachmas duas, coquētur in aqua plantaginis & roſarum ad conſumationem tertiæ partis, & de collatura Rec. libram vnam diamori, ſyrupi myrtini, vtrorumq́. eque vnc. vnam & mediam; at ſi erit dolor & excoriatio poterit patiens non gargarizare, ſed ſugere ſyrupum myrtinum, diamoron, ſyrupum de ribes, vel de ſucco citoniorum.

Quo ad præſeruationem narium odorare acetum cum ſandalis, ait Rhaſis 18. continentis, & etiā ſolum acetum eſt manifeſti iuuamenti, ſimiliter mittere intus in nares & extra tamquam Epithema decoctionē roſarum & ſandalorum alborum & rubeorum. Poſt exitus complementum morbilorum & Aluhumatum in ſuperioribus narium partibus confert mucilago maxime pſilij in ore detenta, ſimiliter vnguentum factum ex oleo roſato ſolo puro cum virtute ceræ & climiæ, ideſt cadmiæ pompholidis, ideſt tutiæ confert in naribus & ſupra nares. Quo ad præſeruationem pulmonis eſt loch de lentibus cum ſemine papaueris, eſt dragagantum mixtum cum loch, eſt etiā dyadragantum per ſe ſæpe ſumptum; quo ad præſer-

uatio-

uationem inteſtinorum eſt vſus ſtypticorum . Pro tandem exſiccatione poſt eorum maturationem, quæ maturatio augetur cum fomentatione decoctionis altheæ, maluæ, fenugræci, ſeminis lini : eſt fomentatio partim cum decoctione, partim cum ſalitione; cum illa decoctione in morbilis & Aluhumatibus tam apertis, quam non apertis, cum hac ſalitione in non apertis cauendo, ne perueniat ad apertas, decoctio autem eſt talis Sume lentium excorticatarum bis in aqua bullitarum, aſſari mediani, corticis tamariſci, ſandalorum rubeorum & alborum vnciā vniuscuiuſq; mediam, libram aquæ roſatæ vnam cum camphora, coque pro decoctione, quibus ſalem ſi addideris erit facta ſalitio, vtaris cum coto claudendo vias orificiorum, maturant, exſiccant & faciunt eas cadere cum velocitate.

Pro delendis veſtigijs, quæ poſt morbum remanē, eſt medicamentum, quo leniatur facies de ſero et eſt tale Sume litargirij abluti, radicum cannæ ſiccæ, farinæ ciceris, oſſium vetuſtorum, coſti, partes vnius cuiuſq. æquales terantur et liquentur cum aliquo liquore decoratiuo, vt cum ſucco limonum et liniatur facies; mane lauetur cum aqua furfuris. Pro concauitate veſtigiorum eſt cinis teſtudinum marinarum vſtarum ſecundum ſui totalitatem ſubtiliter tritus cum oleo mixtus et iniunctus . His omnibus victus ratio adiungatur, aer ſit calidus, in aere enim frigido morari eſt conſtringere poros, ac prohibere eorum exitum, cum coopertura pannorum ſeruetur calida patiens; panni cum quibus cooperitur ſin coloris ru-

bei et maxime de scarlata, quoniam in eis est proprietas expandendi materias calidas ad exteriora, præcipue cum frequenter inspiciuntur.

Verùm in principio exitus cum inueniatur caliditas inflammata, et lingua decliuis ad nigredinem, tẽperate est calefaciendum, ne syncopis accidat; cibus non sit dulcis, nec crassus, sed sit frigidus, facilis coctionis, & acetosus, vt ptisana, lentes excorticatæ decoctæ in succo granatorum, aut conditæ cum succo citri, aut limonum, lactucæ, medulla citruli, anguriæ. Potus sit decoctio secunda lentium, aqua hordei cum Iulepe rosato, aut violato, vel cum succo citri, aut limonum. Inanitio Ventris in principio ante apparitionem est mollienda, repletio fugienda, ideoq; in principio vitella sorbilia vitantur. Pro motu sint frictiones leues in principio factę sub coopertura pannorum. Somnus ante apparitionis incœptionem conuenit si fuerit moderatus, verum postquàm incœperint apparere minuatur somnus & augeantur vigiliæ, in declinatione somnus & vigiliæ sint moderatę. Omnia animi accidentia sunt fugienda, præterquam gaudium & lætitia. Hæc dixisse volui ad honorem Gloriosæ Virginis Mariæ, vt sua benignitate ipsa pro me Creatorẽ implorans faciat me ad sanitatem valere. dixi.

CONSILIVM XIV.

DE DYSENTERIA.

NObilis Vir annorum quinquaginta, habitus biliosi in tempore hyemis post morã in cubiculo ab igne calefacto, cum ibi comessationibus & potionibus cum sodalibus vacauerit, cæpit conqueri de doloribus ventris inferioris circa pectinẽ & os sacrum primum, deinde de fluxu excrementorũ mucosorum, ac tandem cruentorum, breuibus tamen interuallis cum febricula & pauca siti, & catarrho salso; & desiderat auxilium.

Quoniam homo est harmonica ratione cõpositus, harmonicas operationes efficit, meritò in harmonia sola hominis vita, sanitas, robur, & pulchritudo consistunt; Harmonia verò est mutua consonantia humorum quasi vocum vnà conspirata; si igitur humores isti discrepent deficiendo, aut prorsus excedendo, siue inquinando, tunc harmonia vitiatur, tandem vitiata vita languescit, sanitas infirmatur, robur debilitatur, pulchritudo turpescit; deficit autem harmonia, quandò vox grauis, aut acuta, aut superacuta naturalis deficit, vel quando est strepitus & locus incoueniens; excedit vero & inquinatur, quando voces & cantus non oportunè adhibentur. Vir Perillustris & Excellentissime Io: Dominice Sala, per quem ego decus, ac totum Gymnasium Patauinum Fælicitatem, tu per Gymnasium splendorem, per te totum Dominium Venetum decus, per te ęgrotantes fructum, per ægro-

M 2 tantes

tantes Ciuitas gloriam consequitur. Hoc idem contingit harmoniæ Perillustris patientis nostri, quæ vitiatur & propter strepitum, idest propter errores in sex rebus non naturalibus, & propter voces non opportunè adhibitas, idest propter humores putrescentes, tādem vitiata vita languescit, sanitas infirmatur, robur debilitatur, pulchritudo turpescit, accidit discordia, contingit discrepantia, & clamor, idest symptomata, & morbi, inter quos præcipuus est Fluxus alui cruentus, qui dupliciter accipitur, communiter, & propriè, communiter, quatenus significat quamcumq; cruentam deiectionem per intestina, sic accipitur à Galeno in 2. de loc. aff. 5. proprie, quatenus significat determinatam speciem deiectionis cruentæ, & sic à Galeno in 3. de sympt. causis 2. ac dysēteria dicitur, cuius quatuor sunt species, quarum vna est quando fit propter aliquam corporis præcisam partem, aut exercitationē intermissam. 2. species est, quando fit aquosus sanguis propter Iecoris imbecillitatem, hoc est propter alteratricem facultatem 3. est, quando fit sanguis melancolicus & splendens propter facultatem expultricē, idest propter intemperiem calidam Iecoris; postrema est, quando aliquando sanguis sincerus, aliquādo grumosus, aliquando etiam aliquid puris excernitur, sed breuibus quibusdam interuallis & hæc postrema species proprie Dysenteria appellatur, quæ vlcus intestinorum dicitur, atq; ea est quæ affligit nobilem Patientē. Tale autem vlcus habet tres gradus ex Galeno 4. aphorismorum com. 26. secundum tres partes ex quibus intestina constituuntur, intestina enim sunt con-

ſtituta ex mucilagine & duabus tunicis, quādo .n. diſſoluitur & abraditur inteſtinorum mucilago, ſeu pinguedo, aut adeps, tunc fit vlcus in primo gradu, ſi autem corrodatur prima tunica fit in ſecundo gradu, ſed ſi non ſolum hæc prima, verùm etiam ſecunda abradatur fit vlcus in tertio gradu. Dyſenteria igitur hæc, quæ dicitur vlcus, non eſt in vltimo gradu, quia in excrementis non eſt maximus fœtor, nec maximus dolor, & carunculæ; ſed eſt in primo gradu, quia excretiones ſunt mucoſę, ac etiam in ſecundo, quia cum adipe excernitur ſanguis & partes cuticulæ excorticatę, adeſt ſtercocis fœtor, ſitis, febricula, quod vlcus non eſt in inteſtinis tenuibus, ſed craſſis, quia quando ſunt in tenuibus, dolores ſunt vehementiores, ſemper adeſt fæbris & aliquando maligna, adeſt ſitis, nauſea, vomitus, delirium, & ad ſummum ſunt omnia deteriora & periculoſiora. Cuius cauſæ aliæ ſunt antecedentes, aliæ prim itiuæ, antecedentes, quæ ſunt cauſæ internæ ſunt tres, materialis, formalis & efficiens, materialis eſt duplex alia ſubiectiua ideſt inſtrumentalis, alia obiectiua, ſubiectiua duplex, alia à quo, alia in quo, ſubiectiua à quo ſunt caput catharro ſalſo plenum & iecur calidum, ſubiectiua in quo, ſunt inteſtina omnia, quæ ſunt communis quædam via, & cloaca recipiendi & excernendi omnia excrementa, quæ quouis modo generantur in corpore, vnde habent maximum conſenſum & connexionem cum partibus principalibus; Cauſa materialis obiectiua eſt duplex, alia eſt pituita ſalſa, acris, & ideo accidentaliter calida, à capite fluxa ad inteſtina, alia eſtillioſa, & ideo eſsentialiter calida

verùm

verùm mordax adusta ab hepate calido&ad intestina expulsa.

Causa formalis est essentia ipsa Dysenteriæ, quam sua definitio declarat. Causa efficiens est intemperies calida hepatis. Causæ primitiuæ sunt errores in aere, quia se exposuit frigori hyemis post moram in cubiculo calido; in cibo, quia varia genera ciborum cum aromatibus conditorum edit; in potu, quia vina generosa potauit; in motu, in somno & vigilia, & animi accidentibus, quæ calefaciunt Iecur, replent caput, & cōgenerant causas internas, & erigunt hunc affectum; qui cum sit in secundo gradu vlceris tantum, & in intestinis crassis, est facilis curationis; secus verò dū est in tenuuioribus intestinis, & est in vltimo gradu: pro qua vlceris sanatio in moderata siccitate consistit, verùm frustra erit exsiccatio, si noua materia administrata, vnde vlcera gignuntur, non auferatur, vnde materia quæcumque fluit ad intestina, est vacuanda, reuellenda, corrigenda, & omnibus modis intercipiēda, qualitas materiæ temperanda, impetus dolorum leniendus, intestina munienda, intemperies partium contemperanda, vlcus consolidandum; quæ omnia præstabuntur, si vocauerimus Apollinem dextera liram vibrantem, spiculum læua gestantem, qui Apollo sua tradet lyra cantum leuamen laborum, diuturnæ vitæ pignus, cui cantum nostrum possemus conciliare; tradet etiam suo spiculo auxilium, vt nostris instrumentis medicis possimus morbum profligare.

Ad Chirurgiam itaq. quod attinet, fluente aluo non trahatur sanguis habita virium ratione vt putat

Gal.

Gal. in 4. de ratione vict. in morbis acutis cap. 116. siquidem vt ille se ipsum interpretatur, si post detractionem fluor perseuerat, solet virtutem prosternere. Pro tamen reuulsione, quę fit in principio, frictiones & ligaturæ partium superiorum erunt congruæ.

Ad pharmaciam quod attinet, pro minoratione materiæ darem vnciam mediam pulpæ tamarindorũ drach. sex electuarij lenitiui, & scrup. duos rhabarbari acerbi; quæ omnia euacuando & calorem contẽperando habent intentionem ad parum restringendũ, quæ in principio est necessaria; à myrabolanis citrinis abstinerem; quæ cum augeant viscerum obstructiones, relinquerem tantum pro pauperibus vt facit Leonellus Fauentinus in cap. de Dysenteria.

Pro contemperatione acrimoniæ & intemperiei partium sunt syrupi de cichoreo, de endiuia, de rosis siccis, de portulaca cũ decoctione fol. boraginis, acetosæ, sem. plantaginis, endiuiæ; bolus ex drach. vna succi cichorei condẽsat, & scrupulo vno sp. trium santalorum, aliqui proponunt lac, quod tamen est malũ cum sit febris, & biliosæ derectiones, quæ sunt conditiones in quibus cum Hip. quinta Aphorismorum 64. nos ab eius vsu abstinere debemus.

Pro deriuatione, quæ fit omnibus temporibus morbi præterquam in principio, est prouocatio vrinæ, quę debet fieri hordeo, sem. melonũ decoct. petroselini, capil. Veneris, hordei: aqua beatæ Virginis est præstãtissima in potu summo mane, si non integra mensura ad decem scilicet heminas, saltem ad tres vel quatuor heminas, hemina enim sunt vnciæ decem, dummodo

non

non adsit febris, ac noxij humores non abundent; illa enim augeret obstructiones, ipsi vero possent ad alias partes conuerti. Pro intestinis muniendis, doloreq; leniendo sunt remedia per sedem infundenda præsertim cum intestina crassa solum sint læsa, vt ait Galenus 6. de loc. aff. 2. hæc clysteria appellantur, inter quę in principio vtor vel ex brodio castrati vel ex succo hordei, aut milij, cum tribus vitellis ouorum, vel ex lacte vacino, aut ouiuo cum butiro ac pro abstersione adderem vnc. duas sacchari rubei; deinde post aliquos dies ad ea quæ consolidant, & fluxum cohibent, deuenirem. Pro igitur materia colerica darem vncias quindecim succi hordei, drach. vnam pulueris tragacanthi, totidem gummi arabici, similiter boli armeni eandem sanguinis draconis quantitatem licij scrup. duos cum vitello oui ad clystere conficiendum.

Pro vero materia phlegmatica & salsa darem succi orizæ vnc. quindecim, drach. vnam pulueris thuris, totidem mastiches, similiter sandarachæ, sicq. gallarũ cupressi & cum vitello vnius oui ad clystere conficiendum, in quibus clysteribus nec pinguedines, nec olea sunt ponenda, prohibent enim consolidationem fieri. His adduntur externa, quæ solum administrantur, vbi corpus est purgatum, antea enim extrinsecus adstringendo humores comprimuntur, & compressi magis fluunt ad intestina, vt ait Altimarus Galeni auctoritate ductus primo ad Glauc. 14. quæ externa erunt primum vnctiones ex oleo rosato composito masticino; tandem emplastrum dyaphænicon. Omnibus tandem his addatur victus ratio, in qua aer

debet

debet esse siccus in actiuis qualitatibus temperatus; Cibus sit paucus tenuis facilis, coctionis, habens vim emplasticam, ac viscidam. potus sit aqua chalibeata non quæ per plumbeos caneles fertur, quia, vt ait Galenus 7. de comp. med. secundum loc. cap. 2. est in hac affectione perniciosa. A vino est abstinendum cum fæbris sit adiuncta; repletio est vitanda eligatur inanitio præterquam facta ex Venere; motus sit mediocris, ac eius loco in cubile sint frictiones; somnus semper confert etiam à cibo, quia per somnum retinentur humores fluentes; mens tandem sit quieta; sic conciliabimus omnem vocem cantibus Apollinis, sic enim eius more oportune canendo & sonando clamabimus instar echo, vel corda quædam in cithara cremens quoties vibratur altera temperata similiter; interea Imploro Deum Op. Max. ad cuius gloriam hęc dixisse volui, vt efficacia mihi detegat remedia mediante iuditio prudentissimo viri Perillustris & Excellentissimi cui cuncta à me enarrata subiecta esse intelligo. dixi.

CONSILIVM XV.

DE FLVXV SANGVINIS NARIVM SVPERFLVO.

VIr Illustrissimus & Excellentissimus annorum 50. habitus biliosi, cum subdominio sanguinei & melancolici post cœnam tempore verno, dum fuse ridebat, incidit in tale na-

rium ſanguinis profluuium, vt per diem perſeuerauerit, verum licet adminiſtratione medicamētorum fuit cohibitum, ex quocumq; tamen leui motu reuertitur modo vt antea, modo dimminute, hinc dolor capitis, hinc calor frontis & rubedo faciei cum aliqua pulſus inæqualitate, & auxilium deſiderat.

Quoniam homo inter omnia, quæ circa hominem ſunt cœlitus factus eſt, aſsidueq; regitur & illinc præparatus eſt ad celeſtia meritò vendicat ſibi cœleſtia & à cœleſtibus accipit dotes, atq dona, à Sole enim accipit vitam naturalem, & corpoream, ſtructuram erectam & pulchram, humores ſubtiles, ſpiritus claritatem, imaginationis perſpicuitatem, nec non ſtudium veritatis & gloriæ. A Mercurio artem homo enim natus eſt nudus, inermis, omnium egenus hęc omnia propria induſtria ſibi cōparat, quod eſt Mercurij proprium; a Ioue virtutem, ſeu complexionem temperatam, atq. leges, ſecundo enim menſe, quo Iuppiter dominatur, homo accipit vitam atq; naſcitur nono, quo iterum recipit dominatum; a Marte, Venere & Luna accipit alia dona, quæ ſunt æque cōmunia cum cæteris animantibus; a Marte enim accipit fortitudinem, a Saturno firmitatem, a Venere venuſtatem & a Luna motum, acciperetq. ampliora dona ab illis ſupremis vltrò dona dare paratis, retineretq. ſi ſe ſe eis magis in dies atq. magis accommodaret, accommodat autem ſe ſe homo ſupremis, quādo non facit errores in ſex rebus non naturalibus, ſicuti ſi ex altera parte illis ſupremis non ſe ſe accommodet, ideſt faciat errores in aliquibus ex ſex rebus

non

non naturalibus, dona descendentia non veniunt, sanguis cumulatur multus & feruidus, alij humores multiplicantur crassi redduntur & acres, spiritus fiunt obscuri, virtus euadit debilis, fortitudo remittitur, firmitas remouetur, pulchritudo aufertur, ac tandem homo cogitur decumbere.

Hoc idem contingit Illustrissimo & Excellentissimo patienti nostro, qui cum sit homo ampla à supremis accepit dona, quæ non potuit retinere, quia non se se accommodauit illis supremis, idest, quia fecit aliquos errores in sex rebus non naturalibus &, ideo incidit in symptomata & morbos, inter quæ est superfluus fluxus sanguinis narium, qui est symptoma ad immodicas retentiones & excretiones pertinens toto genere substantiæ preternaturam non quantitatis, nec qualitatis, excernitur enim id quod est corpori & naturæ familiare, qui fluxus sequitur morbum tamquam vmbra corpus, ob quem potest fieri, qui est triplex, quorum Alter est διαιρεσις, idest tunicę venarum diuisio secundus est διαπηδησις, idest rarefactio tunicæ venarum tandem αναστομωσις, hoc est venarum apertio, qui omnes sunt morbi in mala compositione sanitatis, morbus igitur, quem sequitur superflui hic fluxus sanguinis narium est αναστομωσις, apertio scilicet tunicæ venarum, per hanc enim sanguis copiose fluere potest, apertio autem venarum potissimum est, aut propter partis imbecillitatem, vel propter aliquam acrem qualitatem, ob quem modum videmus errantes in sex rebus non naturalibus in huiusmodi sanguinis fluxionem incidere, inter quos Pa-

tiens Excellentiſsimus fecit errorem hunc præcipuũ, qui eſt ſatietas vini & cibi, vinum enim vehemens reuocat vim ſtomachi, auget calorem Iecoris, implet lienem & caput, ac tandem ſanguini acrem imprimit qualitatem, cibus verò nimius primum quidem ad ſtomachum in ipſo coquendo vim naturæ reuocat, deinde inepté coctus, nec coquitur perfecte in hepate vt ait Galenus in 6. de morbis vulgaribus com. 4. vnde veniunt alia incommoda, propter hunc igitur errorem data à ſupremis dona amiſit, hoc eſt incidit primum in apertionem tunicæ venarum, tandem in fluxum ſanguinis ſuperfluum è naribus, qui cum non proportionetur virtuti & ideo non ſit decretorius ex ſe non curabitur, arte tamen curabilis eſt, & ſi egreſſus eſſet vſq; ad aliquas libras, viuit enim homo in fluxu ſanguinis nariũ vſq; quò egrediatur ex eo vltra viginti libræ & vſq; ad viginti quinque moritur, ſic dicente Auicenna lib. 3. Fen. 5. tract. primo cap. 9. Curabitur igitur vacuando corporis plenitudinem ſi adſit, cohibendo ſanguinem, ne feratur ad locum læſum & claudendo locum apertum, in hoc enim fluxu duo ſunt loci affecti, apertio ſcilicet venarũ, & locus ex quo ſanguis profluit, quæ ſunt venæ circa Cerebrum, licet ſint quandoq; per conſenſum aliarum partium, quæ præſtabuntur medicis inſtrumentis operationis.

Quo ad dietam, ante omnia patiens debet ſe ſe accommodare ſupremis, quæ omnia ſunt vltrò dona dare parata, fugiat igitur aerem calidum, cibus ſit boni ſucci, & concoctu facilis, vt ptiſana, potus ſit

acqua;

aqua, si casus virtutis vinum, sed oligophonum parcè sumptum, inanitio eligenda non quæ ex Venere, verùm quæ aluum exhaurit, motus corporis fugiendus, parum loquendo, potius somnus quam vigilia, mens sit quieta.

Quo ad Chyrurgiam, sic mars dabit farrum; quo plenirudinem corporis euacuarem secta in cubito vena semel ratione euacuationis, sed reuulsionis gratia bis, bisq; in pede euacuando sanguinis modicam copiam non affatim, sed paulatim, mox mediam horã intermittens, rursus post iterum atq. iterum, vt natura toties irritata, quæ ad partem affectam confluunt, cum maiori impetu in contrarium locum deponat ac detrudat vt ait Gal. in lib. de sang. miss. cap. 12., hoc genere reuulsionis cohibetur impetus sanguinis, ne sanguis qui in præsentia vrget fluat ad locum læsum, in quo genere sunt cucurbirulæ affixæ hypocondrijs, si ex dextera nare fluat super Iecore, si ex sinistra super Liene, quę omnia conueniunt cum vehemens impetus & fluxio sanguinis in præsentia vrgeat, cum vero leuiter fluat & inueterata erit fluxio deriuatio erit opportuna, sectio igitur venæ sub lingua primum occurit, deinde aures scarificatæ, vel ad eas hirudines appositæ; tandem cucurbitula leniter scarificata & apposita ad principium spinalis medullæ, non sunt alij loci proximi ad quos fieri possit deriuatio.


Quo ad pharmatiam, pro humiditate alui dat Iuppiter cum Venere cassiam & manam ex quibus datis magis eligerem cassiam ad drach. sex cum vncia media pulpæ tamarindorum, potest enim humorem no

xium

xium partim leuiter purgare, partim alterare,& sanguinis vitium corrigere ; Pro conctione cuiuscumq: materiæ, quæ est in capite dat phœbus cum Ioue betonicam & melissam, quæ est in stomacho Iupiter cũ Sole mentham, quæ est in Iecore Venus Endiuiam & Cichorium, quæ est in Liene Saturnus cum Ioue cappares, scolopendriam & tamariscum, quæ est in Corde Iupiter buglossam, quæ est in articulis Sol iuam& saluiam, de quibus omnibus solum ego adhiberem endiuiam cichoreum, quia cum plantagine, portulaca, nenuphare,& hepatica refrigerant sanguinem fluentem, locum affectum locos circumscriptos & vicinos, quæ refrigeratio etiam extra est facienda cum repellentibus, quæ ad varias partes apponuntur, vt aqua frigida, hæc enim in ore continetur, per nares attrhaitur, aspergitur ad frontem & faciem ; Concocta materia leuiter est purganda aut cum syr. ros. sol. aut cum manna ; Quo ad cohibendum sanguinem ne feratur ad locum læsum sunt reuulsiones, quæ fiunt per sanguinis missionem, per frictiones, & clysteria, deriuationes, quæ fiunt per adstrictionem & refrigerationem; animi deliquium quod adducitur im moderata euacuatione, aut improuiso fastidio, magno timore, grauissimo dolore, ex violenta compressione digiti manus testium, ac sic facit recurere sanguinem confertim ad partes internas, vnde sanguis ad aliam partem conuersus amplius non petit locum apertum. Quo ad claudendum locum apertum sunt aloes, thus mastix, rosa, hyposcistis, balaustia, cortices granatorum, plantago, portulaca, consolida, ac omnia alia,

quæ

quæ ſuo lentore ſolent meatus occludere, ſed inter omnia eſt medicamentum Gal. 5. de meth. med. cap. 5. ex manna, thure, aloe, albo oui, & vilis leporis quod ad retinendum ſanguinem eſt præſtantiſſimum; quo ego familiariſſimè vtor, eandem habet prerogatiuam gipſum cum albo oui, & bolo armeniæ, quæ occultam habent proprietatem ſunt efficatia, vt ſtercus aſininum exſiccatum & in puluerem redactum ad ſufflãdum in naribus. Quo ad corroborandum & formas ſpecificas partium, earumq. temperies illa ſuprema noſtris fouebunt incæptis; Luna enim dat argentum coralium album, Sandala alba. Mercurius ſmaragdum, Venus ſaphirum, coralium rubrum, ſandala rubea, Lapidem lazuli; Sol aurum, cortices citri, eiuſdemq. ſemina, crocum, ambram, moſcum cinnamomum; Mars inſpidem fuſcum, Iuppiter Gyacinthum, topacium, berilium; Saturnus opium, mandragoram, quæ omnia corroborant partes, ac ſpecificas earum formas; quæ verò earum temperies corroborant ſunt ſaccharum roſatum, oxalis nimphea, & paſtili de terra lemnia; ac ſic videbimus patientem recipere denuo à Luna motum, à Mercurio artem, à Venere pulchritudinem, à Sole vitam naturalem corpoream, à Marte fortitudinem, à Ioue virtutem & à Saturno firmitatem, quæ omnia ipſi ſupplicaturo Deus adſpirabit.



CON-

CONSILIVM XVI.

DE TVMORE TESTICVLORVM ET CANCRENA.

PAter admodum Reuerendus ordinis Virginis Mariæ de Carmelo annorum 56 habitus biliosi fuſci coloris à naturæ primordijs diſtillationibus & catharris obnoxius ante aliquos annos ſemper tempore veris paſſus eſt Gonorrhæam per multos dies durantem, verum medicamentis ceſſantem; nũc poſt habitã rẽ cũ muliere quamuis ſimus in tempore hyemis cæpit conqueri de eadem gonorrhæa, ſed vehementiore & magis moleſtante; quo tempore habuit febrem quotidie affligentem, & de tertio in tertium inuadentem, febre perdurante, cum gonorrhęa ſuperuenit tumor in parte ſiniſtra ſcroti cum dolore, à quo in diem incrementum ſuſcipiente cum totum ſcrotum fuerit dilatatum & ampliatum ſtatim gonorrhæa fuit remiſſa dolor ceſſauit & ſcrotum in parte inferiori amiſit ſenſum, nunc eſt vlcus, & deſiderat auxilium.

Membrum quodcumq. infirmum ideo curatur quia conuertitur in naturam propriæ ſanitatis, conuerſio membri ad talem naturam præſupponit naturæ membri cognitionem, quam qui vult cognoſcere intelligat partes, quibus conſtitutum eſt membrum, eiuſq. operationes cognoſcat; quoniam nunc agitur de cura teſticulorum pro qua ſum vocatus, loquar de partibus, quibus conſtitutis ſunt teſticuli, & poſtea ad

cura-

curationem accedam. Quantum igitur ad primum Testiculus constituitur ex carne spongiosa, ex quatuor tunicis & ex vasis seminarijs in testes terminantibus, & à testibus exeuntibus. Caro spongiosa parata recipere, & imbibi humiditatibus, Tunica, quæ inuoluendo tangit testem appellatur epididymis post eam dicitur erythroides, seu vaginalis, quæ sequitur dicitur Dartos carnosa, postrema quæ extra apparet scrotum appellatur. Vasa seminaria, seu parastates alia sunt antecedentia, alia consequentia, antecedentia sunt quædam venæ quæ prodeunt à Cerebro vsq; ad testiculos, deferuntq; sanguinem dealbatum, qui erat ad nutrimentum cerebri ad testiculos, consequẽtia vero, quæ parastates dicuntur sunt venæ, quæ exeunt à testibus ac deferunt sanguinem illum dealbatũ residuum tamen nutrimenti testium ad virgam virilem & per illam in matricem. Testis igitur iste ita cõstitutus quando est in corpore senili gonorrhæamq; patiente contingit pati diuersas ægritudines, quia de testibus tamquam de membro principali natura habet maximam sollicitudinem, ac ideo humores expellit ipsos implentẽ, ac alterantem, qui expulsus si fluet non ad tunicam epididymam, quia in ipsam duriorem natura vas spermaticum inseruit, sed ad eritrhoidam & daxtam, ibiq; moratur, facit omne genus morbi, intemperiem scilicet, solutionem continui & malam compositionem, si ad scrotum facit easdem ægritudines atq; etiam Hydrocelen, idest colllectionem humoris lenti in scroto, cancrenam idest mutationem cuiuscumq; corporis à naturali statu in alienũ

atq; extinctio cum vlceratione, verum si à superioribus labetur humor velut intestinum, aut omentum, aliæ fiunt ægritudines quemadmodum contingunt testibus patientis nostri, qui est in primo senio, & patitur gonorrhæam per contagium contractam, quæ gonorrhæa arguit materiam multam & acrem in testibus, de quibus tamquam de membro principali natura habet maximam sollicitudinem ac ideo expellit eam eos implentem, quæ materia expulsa fluxit à testibus in scrotum per cuius præsentiam factus est tumor, per autem moram remissa est gonorrhæa, per auram tandem quandam materiæ coniunctam à contagio contractam extincta fuit vita cum vulceratione, quæ extinctio, me iudice, cancrena appellatur. Hæc extinctio, seu mortificatio huius partis sequitur inflammationem ex Gal. lib. de tumoribus præter naturam cap. 8. inflammatio naturalem perspirationē priuatam ex Gal. eodem loco, priuata perspiratio materiam illam priuantem, quæ primo est transmissa à cerebro non perfecte coctionem celebrante, quia est distillationibus obnoxium, per vasa antecedentia in renes intrantia, & transeuntia per eosdem renes nimis calefactos vasa antecedentia subintrata debilitantes & rarefacientes quia solitus est pati gonorrhæā tempore veris, quo caliditas & materia augentur, deinde à renibus per eadem vasa in testes, tandem à testibus per vasa consequentia, quæ parastatæ dicuntur verum rarefacta in scrotum, talisq; materia adeo mortificauit, vt nisi quis celeriter medeatur ex toto mortificabitur & hominem interficiet. Pro autem medela ma-

teria

teria quæ mortificat & vlcerat est exsiccanda & abstergenda, sed non potest exsiccari aut vti medicamentis exsiccantibus & abstergentibus, nisi antea cohibeatur fluxio humorum, sed hoc non potest fieri nisi prius totum corpus, quod vitiosis scatet excrementis, purgabitur, sed non potest expurgari nisi antea excrementa præparentur, primo igitur corpus erit purgãdum, fluxio humorum cohibenda, postea pars affecta est abstergenda & exsiccanda ipsamet etiam corroboranda, ne in posterum noxia excrementa recipiat; His indicationibus licet satisfacere, quia morbus est in principio, licet materia eius sit gallica ac morbus preceps.

Quod itaq; attinet ad primam indicationem seruata semper alui humiditate pro communi euacuatione extraherem vncias sex sanguinis ex vena Iecoraria dexteri brachij, mox ex pede, in magna habeo extimatione hanc sanguinis per infernas partes euacuationem, quoniam ex Hip. 4. Aphorismorum 18. supra septum transuersum dolores purgatione indigere per superiora significãt, quicumq; vero inferiora molestant per inferiora vbi colligit Galenus & ego cum illo Hipp: omnes dolores curare secundum humorũ infestantium inclinationem, aliquando per purgationem, quæ fit per medicamentum purgans, aliquando per euacuationem simpliciter, quæ est per sectionem venę etiã cũ requirat humoris redundãtis inclinatio.

Quo ad pharmatiam pro præparatione materiæ, quæ debet esse calida, fæbris enim inuadens de 3. in tertium gonorrhæaq. declarant, ex hiberem decoctum

ctum ex cichoreo, endiuia, ſunco, boragine & fumoterræ aliqua quantitate ſyr. de cichoreo acetoſi ſimp., humore concocto purgarem cum ſyrupo de polipodio comp. & electuario lenit. ac cum rhabarbaro, ſi autem vellet in bolis eligerem electuarium lenit. de ſucco roſarum quibus rhabarbarum adderē, ſic enim haberem humoris peccantis rationē, ac prorſus alios non negligerem, quia frequētiſſimè omnes humores ſimul ſunt noxij, verum ita vt vnus cæteris antecellat. Pro interceptione humorum fluxionis eſt omnis euacuatio ſuperius propoſita tum per ſectionem venæ, tū per medicamentum purgans. Pars affecta Chirurgo eſt comittenda, qui habeat vt medicamentis, quę ſunt tradita à Gal. 5. methodi in fine vbi tractat de vlceribus in pene. probat autem Gal. medicamenta exſiccantia, noſtro tempore ſunt vſitata Tutia, Lithargirium ſquama æris, ex quibus vnguenta & aliæ formę medicamentorum conficiuntur, Ratio autem curandi hoc malum, quā ſoleo probare eſt huiuſmodi. itaq; poſt generalem purgationem, ex aqua aponenſi pars affecta lauetur mane & veſpere lauata parte vbi eſt mortificatio adhibeatur vnguentum ægyptiacum, ac ſupponetur vnguentum de Tutia, ſeparata mortificata carne ſupponatur vnguētum de Ceruſa cū vnguēto de Tucia ac ijs cum remedijs eſt progrediendū donec mortificato vlcere liceat illud ad cicatricem ducere, quod facile ſolo linteolo imbuto in aqua aponenſi cum vnguento de Tucia poteſt fieri, ſic etiam corroborabitur pars; dummodo recta victus ratio addatur, quā ego Viro prudentiſſimo curam habenti comitto.

CON-

CONSILIVM XVII.

DE FEBRE ARDENTE PROPORTIONATA.

IVuenis annorum 20. plumbei coloris quatuor ab hinc diebus incidit in febrem ſine horrore, rigore & tremore inuadentem, temporaq́; ſua occultantem cum inſigni capitis diſtillatione, & ſpirandi difficultate per ſputum excernit multam materiam craſſam corruptam, & quærit auxilium.

Supplicium, ſeu pena ſequitur peccatum ſuppliciū quod affligit patientem ſequitur peccatum ſuæ naturæ, & eſt egreſſus à conſtitutione ſecundum naturam &ingreſſus in conſtitutionem præter naturam; peccatum ſuæ naturæ eſt receſſus naturæ à naturalitate, vel per inanitionem, vel per repletionem. Quo ad ſupplicium eſt ingreſſus in conſtitutionem vel contrariā determinatę conſtitutioni naturali reſpicienti conſtitutionem partium ſimiliarium vel reſpicienti conſtitutionem naturalem partium diſſimilarium; hoc ſupplicium ſolum eſt ingreſſus in conſtitutionem præter naturam contrariam conſtitutioni determinatę naturali reſpicienti conſtitutionem partium ſimilarium, & appellatur intemperies vniuerſalis, quæ febris dicitur; hęc autem febris ſequitur putredinem, quæ eſt receſſus naturæ à ſua naturalitate, qui dicitur peccatum, natura enim ſunt res naturales in ſua naturalitate exiſtentes, quæ ſunt ſpiritus, humores, partes, facultates actiones & ætates dum natura & humor recedit à ſua naturalitate etiam extra limites naturalita-

tis

tis ille recessus dicitur putredo & peccatum, quare hæc febris sequitur peccatum scilicet putredinem, verùm putredinem bilis & pituitæ salsæ putrescentium in venis Iecoris, Ventriculi & Pulmonis, quæ putredo sequitur prohibitam transpirationem, prohibita transpiratio obstructionem, obstructio materiam obstuentem, & sic orta est febris, dixi hanc febrem sequi putredinem, quia in pulsibus systole, est maior dyastole, in putridis enim Cor plus eget emissione fuliginum quam suimet refrigeratione; hanc dixi sequi putredinem bilis, quia inuadit proportione correspondens inuadenti de tertio in tertium, etiam pituitæ salsæ quia singulo die inuadit cum tali proportione; dixi putrescere in venis Iecoris ventriculi & Pulmonis, quia febris ardens proportionata vt ait Gal. primò de morbis vulgaribus 1. & 9. & 3. de morbis vulgaribus 3. 33. habet putredinem in talibus venis. Cuius causa formalis intrinseca & calor extraneus proportione correspondens inuadenti de tertio in tertium, qui calor dicitur Causon nothus, seu ardens proportionata, causa efficiens est calor extraneus simpliciter; causa materialis est bilis & pituita putridæ, quas causas fouent causæ externæ, quæ sunt errores in sex rebus non naturalibus & primò in aere, quia corpus suum exposuit ventis, indutus est vestibus grauibus; in cibo & potu, quia est repletio cuiuscumque generis ciborum & vini generosi; in inanitione, quia nimium coitũ exercuit, qui omnes errores auxiliantur causis internis, immo erigunt intẽperiem capitis vnde catarrhus, stomachi, vnde mala concoctio, Iecoris vnde genera-

tio excrementorum calidorum sicq; cogenerant hanc febrem, quæ est periculosa, quia est morbus acutus, qui licet aptus sit desinere intra 21. diem, siue bene, siue male hic tamen non desinet intra hoc temporis spatium bene tamen desinet, adsunt enim vires & sunt signa coctitionis, quare pro curatione danda est aluni humiditas contemperanda est intemperies, præparãda est materia, attenuatione, quæ est crassa, incisione, quæ est viscida, abstersione, quæ est adherens, sic etiã auferentur obstructiones, quia fiunt à crassitie, lentore, viscositate & ab adhærentia humoris; Præparata materia est purganda, partes corroborandæ, quę prę-stabuntur medicis instrumentis.

Ad Chirurgiam quod attinet, quamuis Auicenna 4. Fen. primi libri cap. 20. in morbis biliosis non probat sanguinis missionem, quando tamen est magnitudo morbi, virium robur, & ætas florida, missio sanguinis nunquam erit reprobãda, præsertim quia Gal. ait in 11. meth. cap. xv. in omni febre, quæ habet originem ab humorum putredine venam esse secandam, vnde extraherem vncias quinque sanguinis ex vena saluatella hebito respectu morbi diuturnitatis, cum sit in decima die.

Ad pharmatiam quod attinet pro aluui humiditate tale erit medicamentum, sume vncias mannæ electæ duas, vncias mellis Viol. solutiui tres in decoctione pectorali cuncta dissolue & exhibe, quæ quamuis conuertantur in bilem, expurgant tamen humores crassos & viscidos, qui cum sint in maxima copia impediunt nè conuertantur.

In hac febre regularem curationis ordinem nō perturbarem derelinquēdo causam & intendendo extinctionem caloris febrilis, quia licet calorem habeat alios superantem, hic tamen est à calore febris ardentis exquisite superatus, ideoq; pro concoctione est decoctio cichorei, sonchi, acetosæ, rad. graminis, hordei, seminum melonis & quinque folij, quę concoquit attenuatione & incisione cum radice graminis, abstersione, cum quinque folio & hordeo, cum omnibus per vrinam euacuat, ac tandem si addatur syrupus de papauere valet ad catarrhum calidum in pulmones ruētem, interea dum hęc celebratur concoctio, calor vndique extinguatur, consonantiaq; partium & virtus augeatur & conseruetur; intus solum in febre ardente exquisita auctore Gal. 9. meth. cap. quinto est potio acquę frigidę in tempore tantum ęstatis, quantum ęger qui sit habitus calidi, aridi & macris, vno haustu potest potare non paulatim, sed affatim etiam ante coctionem sed cum saccharo, aut Iulepo aut syrupo acetoso ne diù moretur in stomacho, quia bilis dicitur cruda non quia crassa, sed quia feruida nimium & acris est vt ait Auer. 7. coll. 8.; verùm in hac febre spuria ardente solum est syr. talis. Sume vnciam tamarindorum vnam, pruna numero duodecim iuiubarum vnciam mediam, rosarum, violarum, seminis endiuię, lactucę, portulacę, seminis psilij integri, singulorum omnium, drach. quatuor, seminis pauperis albi vnciam vnam & mediam, seminis papaueris albi vnciam mediam, sandalorum omnium singulorū drach. sex, florum nenupharis, liquiritię seminis ci-

coniorum integri singulorum drach. tres coquantur in aquis cucurbitæ, solatri semper viuæ, deinde cola & cum saccharo albo fiat syrupus, in fine coctura adde modicum aquæ rosarum, & aceti, ac vtere eo eunti dormitum; extra sunt epithemata, quæ supra partes ponuntur, vt etiam earum virtus augeatur & conseruetur, quæ debent esse calida, ne exsoluant earum vigorem, & in vigore paroxismi, vt calor, qui tunc téporis est expansus, potius extinguatur quam intro pellatur. Epithema igitur, quod supra pectus ponitur, est pannum lineum infusum in aqua rosata & endiuię mixta cum rosis & sandalis; supra frontem est appositio aquæ rosarum & lactucæ; epithema pro hepate & Corde tale est; Recipe aquę solatri, semper viuæ, endiuiæ, rosarum, singulorum omnium vncias quatuor, vncias aceti rosati duas, sandalorum omnium singulorum omnium drach. quatuor, rosarum, spodij, corallorum, seminum portulacę singulorum ęque drach. vnam, camphorę scrup. medium. Apparente coctione obseruanda est natura, an ipsa aliquid moueat, an quiescat, si moueat ad vomitum, prouocãdus est vel oxymelle cum iure, aut succo raphani cum iure; si ad sudorem is prouocandus aqua hordei in magna copia sumpta, vel in tegumentis; si ad sanguinis profluuium prouocetur vel hyrundinibus naribus appositis, vel herba sanguinaria vocata. Si autem à suo munere deficiendo quiescat, & non expellat humoré noxium, tunc licet mihi exhibere hoc medicamentũ, etiam si moueat ad aluui fluxum. Recipe granorum sebettem numero duodecim, mirabolanorum chebu-

lorum drach. vnam in aqua endiuiæ fiat decoctio, sume dictæ decoctionis vncias sex , rhabarbari electi drach vnam , agarici trochiscati scrup. quatuor , infunde per noctem deinde facta expressione , adde syrupi rosati solutiui mellis rosati solutiui vtrorumq; æque vnciam vnam & mediam & exhibe pro potu ; Post coctionem , & vacuationem ad balneum aquę dulcis deuenirem, vt reliquias & cineres ab humore salso relictas post coctionem exinanirem ac demulcerem docentibus Gal. in lib. 3. de acutis sub fine & Auic. prima 4. cap. 42. quare abluerem brachia & crura cum decoctione foliorum salicis , vitis, lactucę , violarum, rosarum, corticum papaueris ; verum si hęc febris perseuerans nimium potrahatur tunc neccesse est humorum pręparationes & purgationes repetere, quo tempore ad valentiora debemus descendere exépli gratia ad oximel compositum, ad syrupum de duabus radicibus, de quinq; radicibus , ad decocta cetrach, agrimonię , hysopi, neq; his medicamentis contétus, ad alia medicamenta deuenirem, quę ad huc magis valent humores concoquere , meatus aperire , laborantes partes corroborare , qualia sunt trochisci de rosis , de absinthio ex quibus conficiuntur pilulę in hac forma; Recipe trochiscorum de rosis drach. vnã , de absinthio drach. mediam cum aqua agrimonię fiant pilulę quinque , quarum vnam singulo mane ante syrupum exhiberem , sic etiam posteriora medicamenta purgantia sint prioribus valentiora , qualia sunt electuarium diapheniconis hiera picra Gal. 2. de comp. medic. secund. loc. partes sunt corroboran-

dæ

dæ conseruis capitalibus, stomaticis, hepaticis & lienicis; his omnibus addatur victus ratio, in qua æger inspiret aerem frigidum, tangat calidum, frigidum enim præcludit viam densando cutim; vt non possit commodum Cordi calefacto afferre; Cibus sit actu & potentia frigidus & humidus in principio morbi vsq; ad statum tenuis, vt ptisana, vel panatellę factę ex seminibus refrigerantibus vel herbæ coctæ in iusculis vel iura in quibus conficiendis non sit sal, quia aqua pura vbi nimium concoquitur salsa fit vt ait Gal. 3. de alimentorum facultatibus cap. 32. verum cibus sit tenuis secundum conuenientiam virtutis; Potus quotidianus non sit vinum nec pura aqua, quia conuertitur in bilem scilicet in caliditatem inflamantem vt ait Auerroes, sed sit aqua aut hordei, aut lactucæ, aut endiuiæ aut posca, inanitio corporis fiat humectando aluum, expellendo repletionē, quiescat ab omni motu & fricatione; somnus est conciliandus, verum moderatus; quiescat in animo lætetur cum larga spe, quæ est prima via salutis, cuius Sancta Maria Mater Dei semper Virgo est semper auxilium ad cuius honorem & gloriam hæc dixisse volui.

CONSILIVM XVIII.

DE FEBRE QVARTANA.

NObilis Matrona annorum 47. plumbei coloris Viro sano in matrimonium iuncta sterilis habēs diminutas purgationes circa hypocondria maximū

æstum percipiens post comestionem dolores Ventriculi, dorsi, ructus acidos, flatus fluctuationem sentiés, timens, solitudinem diligens ante tres menses incidit in febrem duplicem tertianam medicamétis minime cedentem spatio duorum mensium permanenté quãuis singulo die inuadentem alternis tamen diebus correspondentem, quæ tamen terminauit in febrem de quarto in quartum inuadentem non apparentibus mensibus purgationum & desiderat auxilium.

Vita tamquam lumen in naturali calore consistit, caloris pabulum est humor aereus atq; pinguis quasi oleum; siue igitur humor huiusmodi forte deficiat, siuè prorsus excedat, vel inquinetur tunc calor naturalis debilitatur, tandem debilitatus extinguitur; si humoris defectu calor debilitatur & perditur, mors resolutione contingit, si obruitur humoris excessu vel vitio vita suffocatione perit, resolutio luminis, seu flámæ lucernæ olei cuiuscumq; indigentia ad ellychniũ, suffocatio vero exundantia & repentina illuuione, vel instillatione olei non sinceri & amurcosi contingit; hoc idem accidit lumini patiétis nostræ, quod obruitur & perit non propter indigentiam olei, sed propter instillationem olei non sinceri & amurcosi, scilicet propter multa & varia excrementa humorum, ex amurca enim circa ellychnium oriuntur fungi & concrescunt, tandem extinguunt lumen, idest ex illis excrementis oriuntur symptomata & morbi circa res naturales, & concrescunt; ex menstruis muliebribus retentis, quæ secundum naturæ legem singulis mensibus solebant euacuari, ac ex flaua bile & alijs excre-

mentis

mentis vehementer affatis oritur fungus circa ellychnium, circa ſpiritus, vnde timor; circa humores, vnde febris putrida, circa temperaturam vniuerſalem vnde febris, particularem vteri, vnde retentio menſtruorum; ventriculi, vnde debilitas; Iecoris vnde generatio excrementorum calidorum, & aduſtorum, capitis vnde catarrhus, circa partes & facultates vnde debilitas, circa actiones animales, vnde timor & capitis dolor; vitales, vnde dolor in dorſo & pulſus quorũ maior eſt ſyſtole quã dyaſtole, naturales, vnde aluus ſicca, hepatis æſtus, vrinæ variæ, crudæ, ſubſidentiam craſſam habentes; inter quos fungos eſt maximus ille, qui eſt circa ellychnium humores nuncupatum, quod febris putrida appellatur, quæ ſequitur putredinem atræ bilis non ſimplicis, verum præter naturalis factæ per combuſtionem partis multitudinis excrementorum crudorum in hypocondrijs à calore viſcerum coacto per obſtructiones inibi factas, putredo prohibitam tranſpitationem, prohibita tranſpiratio obſtructionem, obſtructio materiam obſtruentem, materia obſtruens computruit, vnde febris, quam dixi ſequi putredinem bilis atræ, quia inuadit de quarto in quartum, non ſimplicis tamen, quia non eſt quartana legitima, quæ ſtatim à principio hominẽ inuadit, & vt Gal. & Auenzoar, rariſſime fit, ſed præternaturalis, quia alijs morbis, febri ſcilicet duplici tertianæ ſucceſſit, verum factæ per combuſtionem partis multidinis excrementorum crudorum in hypocondrijs à calore viſcerum coacto per obſtructiones inibi factas, quia pars materiæ melancoliæ hypocondriacæ, quã

pa-

tiens patitur, per febrem antecedentem adeo combusta fuit, vt relicta fuerit solus cinis ; talis igitur atra bilis est huius febris causa materialis interna, causa formalis est essentia febris, quam sua definitio declarat, causa efficiens est calor simpliciter, quæ omnes sunt causæ internæ præcedentes, seu antecedentes appellatæ à Gal. primo de meth. medendi cap. 8. causæ verò externæ dictæ à Græcis procatarcticæ, à latinis præincipientes, à vulgo primitiuæ sunt errores in sex rebus non naturalibus, & primò in aere, dum vergit in frigidum & siccum; in cibo quia vtebatur carnibus & piscibus salitis, in potu quia bibit vina crassa ; in inanitione, & repletione, quia habuit aluum siccam; in animi accidentibus, quia habuit profundas cogitationes, qui omnes errores erigunt materiam obstruentem, faciunt obstructionem, prohibent transpirationem, generant putredinem, ac omnes tandem causæ conspirant in febrem, quæ semel consumpta amplius redit, & iterum atq; iterum tentat hominem, qui alias ab ea fuit liberatus, vt habetur à signis melãcoliæ, quæ sunt ætas ab anno. 25. temperamentum frigidum & siccum, studium vitæ, consuetudo & alia, desumptis ab accidentibus intrinsecis corpus ægri consequentibus propositis ab Aã: libro 4. Fen. prima cap. 61. tract. 2. licet Aetius in lib. 5. cap. 83. aliter dicat ex mente Hip: in lib: de septimanis, quem librũ non esse Hipp: legitimum Alexander Massaria & alij affirmant.

Est bene longissima, durat enim multos annos, nõ addit supra annum, quando non accidit in ea error,

quartana vero æstiua duabus hebdomadis iudicatur sic dicente Hipp: in fine lib: de carnibus.

Est facillima & leuissima cum intermissio sit exquisita, quo tempore homines possunt suas operationes facere, quod cum cognouissent legis latores vt ait Hyerolimus Mercurialis sanxerunt nō licere quartanarijs se se excusare quo minus vocati compareant in iuditio.

Est perniciosa & lethalis, quamuis quartana legitima sit securissima, ac tādem liberat homines à morbis qui oriuntur à frigidis & crassis humoribus; habemus igitur lucernam plenam oleo amurcoso eiusq; ellychnium circumdatum fungis, vnde lumen est satis debilitatum, quid est faciendum? vocanda est oliuifera olei vitalis origo, minerua scilicet almi de capito Iouis nata & accedat dextera hastam vibrando clypeum leua gestando vt fungos, qui sunt circa ellychnium hasta incidat, vt chyrurgus oleum amurcosum clypeo impellens expandant, ipsaq. edoceat olei qualitatem, vt medicus modo pharmatiam, modo dietam iubens.

Quantum ad hastam, ad chirurgiam scilicet in principio tantum morbi vt seruarem Gal. doctrinam in primo libro ad Glauc. cap. 11. inciderem venam pedis, aut scarificarem crura pro sanguine mittendo, vt minorata materia, natura fortior euadat, & citius possit & concoquere partem materię quę superest, & per menstruas purgationes, quę nunc sunt diminutę, euacuare, verum permitterem sanguinem effluere crassum & nigrum vsq. ad requisitam mensuram, non

flori-

floridum & tenuem; non abstinerem à vulcere quod fontanellam vulgo vocant,ac illud inurerem in coxa sinistra vt reuellatur materia à liene & ab alijs partibus naturalibus.

Quantum ad Clypeum,ad pharmaciam scilicet ante venæ incisionem mollis aluus fiat alimentis vt monet Gal. primo lib. ad Glauc.,cum hęc nihil proficiāt, clysteribus principio mollibus,posterius acrioribus, si natura non leniatur nec per se, nec per cibos, nec tandem per clysteria,ad lenientia leuissima, ad mannā scilicet & cassiam cum partiuncula specierum hięrę simplicis est deueniendum; concoquatur materia, ac parentur viæ,per quas illa deinceps possit commodè purgari, quod fit medicamentis & alimentis, & quatenus pertinet ad medicamenta sunt syrupi in omnibus temporibus morbi accommodati.

Primū in principio morbi quod durat vsq; ad tres periodos est talis syrupus,accipe boraginis, buglosæ, stæchados singulorum omnium vnciam mediam,passularum,liquiritiæ,omnium drach. quinque,anisorū, fumiterræ vtriusq; drach. tres,hordei mundi vnciam vnam, cuscutæ vnciam mediam,fiat decoctum & colatura fiat syrupus cum melle rosato colato; postquē minoratur materia cum leui medicamento,talis enim cum sit melancolia ex sententia Gal. benignè est euacuanda.

Postea in principio augmenti, quod est à tertio periodo vsq; ad tres septimanas est hic syrupus validus, sume scolopendriæ,cetrach, capillorum Veneris, lupulorum, fumiterræ, thimi, atimbræ, manip. cuiuscumq.

cumq. vnum, cort. rad. apij, fœniculi, petroselini omnium vnciam vnam, radicum boraginis vnciam mediam, buglosse tantumdem, melissæ, stæchados menthæ, cuscutæ, foliorum tamarisci singulorum omnium manip. medium, seminum portulacę vnciam mediam, passularum totidem, liquiritiæ similiter, coque & cum oximelle simplici confice syrupum, postquem iterum leuiter materia minoretur. Ac deinde in medio augmenti, quod durat à tribus septimanis vsq. ad quadraginta dies est hic syrupus validior altero, sume camedrios, camepiteos, hysopi, thimi, scolopendriæ, capili veneris, calamenthi manipulum cuiuscumq. vnum, corticum quinque rad. vnciā vnam, radicum buglossæ vnam, cort. rad. cāpparorum similiter, liquiritiæ drach. tres passularum quoque tres, stęchados tres, florum boraginis similiter, etiam buglossæ, coque, & cum oximelle composito fac syrupum, post quem iterum minoretur materia.

In fine tandem augmenti morbi, qui est à quadraginta diebus vsq. ad octo septimanas, est syrupus hic validior validiori; Sume radicum apij, fœniculi, petroselini, sparagi, brusci, cort. rad. capparorum enulæ, vnciam cuiuscumq. vnam, mediani, corticis tamarisci vnciam mediam, frascini mediam geneſtræ quoque mediam, scolopendriæ, cetrahc thimi, thimbrę, hyssopi, calamenthi, camedreos, camepitheos, radicum asseri, cuscutæ manipulum cuiuscumque vnū, passularum vnciam vnam sebestem vnam, liquiritiæ quoque mediam, sem. anethi tantumdem, ameos corui similiter ac doronici tandem sem. endiuiæ drach.

duas, portulacæ quoque duas, coque & cum oximelle composito fac syrupum & cum syrupo de bisantijs, postquem minoretur materia. Qua minorata insurgit status morbi, qui est ab octo septimanis in quo adhibentur trochisci, qui alijs temporibus afferunt mala, exsiccat enim humiditates & indurant ad digerendum materiam, dyatriumpiperum, dyaspoliticō, theriaca, mitridatum, piper in aqua datum mirabiliter conferunt, tam in die interpollationis, quam in die paroxismi, ante tamen illum paroxismū per duas horas, per hunc enim modum prohibetur paroxismus, & euentus rigoris in ea, vinum decoct. menthastri cū permixtione theriacæ ad drach. duas & drach. quatuor aquæ victis post primam minorationem materiæ liberat ante octauam accessionem, verum dandum ante accesionem per vnam horam, & administrantur solum post coctionem, ne exacerbetur febris & difficilior reddatur, sicuti narrat Gal. in lib: de prægcognitione ad Postremum contigisse veteribus medicis, qui Eudemum Philosophum curabant; euacuant insensibiliter quo tempore administrantur, quæ euacuant sensibiliter & per medicamenta purgantia per aluum, & per vomitum in qua administratione hæc illis insensibiliter euacuantibus anteponuntur. Quatenus pertinet ad medicamenta purgantia aluum, inter simplicia est Polipodium, epithimum, senna, elleborus niger, inter composita sunt ellectuarium diacatholicon, confectio hamech, syr. de polipodio compositus, de fumo terrę, pilulæ cochię cum elleboro, rhabarbaro, quę non modo semel, sed etiam sępius

sunt

ſunt adhibenda, quia materia craſſa, tenax & difficilis vnica purgatione non poteſt educi; inter quę omnia ſume ellebori nigri drach. vnam & mediam, terrę perfectę & miſce cum vncijs quatuor vini & dimitte ſic per vnam noctem & fac colaturam, in qua ponas tria grana diagridij, & tertiam drachmę partem pulueris rhabarbari, dà infirmo ante diem per duas horas, de proprietate ſua mundificando curat quartanā, ſequenti tamē die poſt purgationem ſumat drachmā mediam theriacę cum vino calido generoſo in aurora erit vtile pluſquam appareat. Quatenus pertinet ad medicamenta purgantia per vomitum poſt alimēta, quem prouocant eſt ſyrupus acetoſus, in quo infuſus ſit rafanus & elleborus, acetum, ius, oleum, aqua, oximel; vomitus autem non conuenit ratione humoris melancolici, qui per inferiora purgatur, ſed ratione pituitę genitę à labefactatā facultate ventriculi melancoliam fouentis.

Verùm ſemper obſeruanda ſunt ſplen, & hepar & regenda taliter quod non indurentur, quod fit cum confortantibus ea, & prohibentibus eorum oppilationem; & quantum ad ea, quę pro liene ſunt, eſt vnguentum, quod habet drachmas tres olei de capparibus, Irini, amigdalarum amararum vtriuſq. drachmas duas, apij, cimini, radicum Iridis ſingulorum tertiam drachmę partem, cerę quantum ſatis eſt.

Quantum ad ea, quę pro hepate ſunt eſt vnguentum, quod habet olei roſati, citoniorum, ninpheæ ſingulorum vnciam vnam, ſandalorum alborum rubeorum, roſarum purpurearum ſingulorum omnium ſcrupulum

lum vnum, rasuræ eboris drach. mediam, semi. intubi vtriusq; scrupulum vnum aceti drachmam vnam & mediam, canphoræ grana duo. ceræ quanta satis est; Ante accessionem tota spina iniungatur cum oleo de iunipero, aut sume theriacam permixtam cum gariopholis & nardo pane in cyatho cum vino bono vel oleo veteri super prunas ad bulliendum, modicè fit iniunctio super spinam totá, quæ vtilis est cum appropinquat accessio. Quantum ad clypeum, quo Minerua edocet olei qualitatem, ad dietam scilicet, quę cōcoquit materiam & parat vias ad purgandum, in qua Aer debet esse calidus, moderatè humidus; Cibus sit calidus & humidus, verum in principio tenuis cum absistinentia carnium per tres septimanas, verum si materia non fuerit concocta solum vsq; ad quadraginta dies; potus sit vinum album tenue moderatè calidum quod à Gal. cōceditur in quartana; mollis aluus est seruanda; quies sit die accessionis, alia die motus; somnus sit potius in excessu quam vigilia; ab omnibus accidentibus animi vehementibus est cauendum à cogitationibus, à studijs, à mœroribus & à timore, sic fungos incidendo, ac oleum amurcosum expandendo caloris pabulum, nec deficiet, nec suffocabitur, calorq; naturalis conseruabitur, etiam melancholia hypocondriaca remittetur, ac tandem natura, quæ sunt res naturales tamquam ellychnium siné fungis remaneret, horum omnium Fabio illo Duce cælestis patriæ Christo, cui semper sit honor & gloria.

CON-

CONSILIVM XIX.

DE FEBRE HECTICA.

PAter Admodum Reuerendus ordinis Diui Hyeronimi annorum quadraginta, temperamenti calidi & sicci ante quatuor annos post equitationem longam cœpit conqueri de materia à capite distilante, qua perseuerante duorum annorum spatio superuenit febris ardens notha, in qua sæpe potauit vinum, ac ita ingens vsq; ad vigesimam primam diem perdurauit, in qua cœpit ita minui, vt se se febrire minime senserit; verum cum materiæ distillatione à capite superuenit sputum cruentum cum valida tussi reiectum cum catharro commixtum per mēsem durantem, cessato sputo cruento cœpit conqueri de dolore pungitiuo in pectore, per vices affligente, nunc tantum apparet sputum crassum cum tussi & difficultate spirandi, perseuerat illa leuis febricula sine manifestis annotationibus excepto quod post horam à cibo magis incalescit, color ad plumbeum vergit, corpus ematiatur, vires in dies magis prosternuntur, hypocondria sunt consumpta, ob imbecillitatem nō poteſt attolere palpebras & quærit auxilium.

Membra solida corporis humani tamquam fomes existunt, ipsa enim illęsā semper cum alijs seruata humoribus, conseruant vitam eius pulchritudinem actionem, firmitatem & robur, si à calore inflammētur exsiccentur, atq; exurantur, inflammant corpus exsiccant, ac tandem eneruant. Fomes lucernæ ab

igne

igne inflammatus vt Gal. primo de diff. feb. cap. 8. alterat, exsiccatus minuit, ac torrefactus facit flammam palpitantem continue multo minorem ac tandem ex toto extinguit.

Hoc idem contingit fomiti lucernæ scilicet membris solidis corporis patientis nostri, qui ab igne, hoc est à febre non solum inflammatus alterat flamam, idest calorem natiuum, sed exsiccatus & torrefactus etiam facit flammam palpitantem idest eundem calorem exsolutum decidentem, ac ideo fere extinctũ; est inflammatus, quia calor febrilis durat æqualis præterquam à cibo, quia videtur augeri, patiens nõ sentit se se febrire, imbecillitas virium est cum labore, pulsus est paruus, debilis & frequens, calor primo occursu est mitis, paulo post mordax, arteriæ & venæ sunt calidiores partibus proximis; est exsiccatus quia patiens est etiam extenuatus, macer, eius cutis est arida, hypocondria sunt tensa extenuata, pulsus est minor, debilior, durior & magis tensus, quæ omnia sunt signa indicantia ebullitionem & exsiccationem illorum membrorum à Galeno proposita, ad quæ Arabes addunt tussim siccam, quam habet patiens cum crassa, calliditatem & siccitatem in volis manuum & in plantis pedum & in musculis digitorũ; est torrefactus quia habet colorem vultus deprauatũ ob imbecillitatem non potest attolere palpebras, habet faciem Hippocraticam, nares acutas, oculos cauos, tempora excauata, aures breuiores, & faciem totam squallidam, hypocondria consumpta, vt videantur hærere dorso.

Mem-

Membra autem ſolida corporis præſertim Cordis, vt ait Gal. 10. de meth. med. cap. vltimo conſtant ex tribus ex humido quo aluntur, ex carnoſa ſubſtantia ex fibris & membranis, hoc eſt ex humido rorido & humido carnoſo & ex humido radicali, vbi igitur calor febrilis cõſumit humidum roridum dicuntur talia inflammari membra ac eſſe primum gradum febris hæcticæ, vbi humidum carnoſam ab Arabibus glutinum, ſeu vinculum, quo ſolida membra coniungantur dicuntur exſiccari & eſſe ſecundum gradum hæcticæ; vbi tandem exſiccat humidum radicale dicuntur exſiccari & torrefieri & eſſe tertium gradum talis febris, quæ doctrina non eſt diuerſa ab ea in 1. de diff. feb. cap. 8. cum dicto de ellychnio lucernæ; cũ igitur patiens ſit ita extenuatus & conſumptus habet vltimum gradum febris hecticæ, quæ quãuis ſit primum Corde laborante, eſt tamen genita primum per conſenſum iecoris maxime calefacti & ita calefacientis ipſum Cor, excitantis febrem hecticam; deinde per conſenſum pulmonis nõ calefacti à vulcere quod habet, ſed habentis pus ex cuius malitia hectica febris excitatur, quæ febris licet etiam ſtatim à principio ideſt à primo momento temporis & ægritudinis nulla præcedente febre poſſit fieri propter ſubſtantiam Cordis calidiorem quam ſpiritus & humores in ipſa contẽtos aliter diſpoſitos ac frigiditate prẹditos propter malam victus rationem & ideo magis aptam & paratam ad recipiendam alterationem, ſequitur tamen febrem ardentem, cuius cauſæ aliæ ſunt antecedẽtes, & primo materialis cauſa ſunt membra ſolida cũ omnibus

nibus

nibus suis partibus, causa formalis est essentia febris quam definitio declarat, quę consistit in calore æquali sine principio, augmento, statu & declinatione; causa efficiens est morbus particularis & vniuersalis particularis calidum Iecur & phtisis, vniuersalis est febris non diaria sed putrida nō propter eius diuturnitatem, sed propter vehementiam & propter errorē, propter vehementiam cum sit febris ardens, propter errorem tum ægri, tum medici, ęgri primum quia potauit vinum multoties in tali febre, Medici tandē quia aliquando administrauit medicamenta calida nimis quam debebat, quia etiam ommisit medicamenta refrigerantia & humectantia. Causæ primitiuæ sunt errores in aliquibus rebus non naturalibus, qui talem inducunt febrem aliquando ex Gal. in primo de diff. feb. cap. 8. sicut enim alterant spiritus, corrumpunt humores, sic etiam possunt solida exsiccare membra, quæ ab Hip. continentia sicut humores contenta, & spiritus impetum facientia appellantur; quæ febris in primo gradu est facilis curationis, in 2. difficilis in 3. impossibilis, qui dicitur marasmus, sed non torridus & syncopalis, qui est consumptio totius humidi radicalis, nec frigidus naturalis vocatus senectus, qui est consumptio eiusdem humidi facta sponte naturæ, nec frigidus præternaturalis appellatus senium, aut philippus qui est eiusdem consumptio facta à frigido morboso, sed est marasmus calidus in quo non dum ex toto consumpta est humiditas radicalis, febris hectica igitur in hoc gradu est impossibilis curationis ac contagiosa est ex Gal. primo de diff. feb. cap. 2. cui addi-

additum est vlcus in pulmone, quod neceſſario ſequitur febris hectica ratione malitiæ puris eam excitantis, quod phtiſis appellatur, quod per tres rationes à Gal. allatas in 5. de meth. med. cap. 8. eſt inſanabile, immo eſt contagioſum ex eodē Gal. 1. de diff. febrium, quod contagium tranſit ad parietes ad trabes & ad omnes ſuas res, cum quibus caute eſt etiam poſt eius mortem agendum; inſtituerem tamen curationem, tum vt humidum radicale ex toto & perfecte non exſiccetur, tum etiam vt æger à medico plane deſtitutus videns ſe inique mortem nō inferat vt ait Aetius in cap. de elephant., vel quia in medicina ſæpe fiunt monſtra vt deſperati, ſanirati, reſtituantur; Febris igitur hęc cum ſit morbus factus à nulla cauſa dependens indicat curationem per ſuum contrarium, diuerſam à curatione febris putridæ, quæ eſt morbus factus & futurus à cauſa dependens, quæ eſt curatio etiam per ablationem ſue cauſæ; hectica igitur eſt morbus calidus & ſiccus, eſt igitur refrigerandum & humectandum, materia horum indicatorum, alia intra corpus aſſumitur alia foris applicatur, quæ intro ſumitur eſt triplex, 1. alimenta, 2. potiones, 3. aer inſpiratus quæ extra etiam ipſa eſt triplex 1. aer, 2. medicamenta refrigerantia & humectantia, 3. balneum aquæ dulcis. Quatenus pertinet ad materiam internam, & primo quo ad alimenta ipſa ſint refrigerantia & humectantia actu & potentia facilis coctionis boni ſucci, & paucorum excrementorum; quo ad potiones eſt potus aquæ frigidæ & lactis & quo ad potum aquę frigidæ in principio, ideſt in prima ſpecie hecticæ da-

re aquam frigidam paulatim sed non affatim bonum est consilium, verum alio tempore, in 2. scilicet spetie malum, quia virtus est imbecilla, sanguisq; modicus, ac periculum est infrigidationis principij generationis cordis scilicet, sicq; fiet senium, aut philippus, ego loco aquę darem acquam hordei decoctam cum cancris fluuialibus, quæ sic fit; elige cancros fluuiales recentes & abscinde dentes eorum & euelle ipsorum cortices, & extrema & ablue cum aqua frigida sale & cinere tribus vicibus & supra, donec remouetur grauitas odoris eorum, deinde ablue iterum cum alia aqua frigida sola, & contere eos & coque cum aqua hordei excorticati sicq; conficitur aqua cuius sex vncias darem pro potu; quo ad potum lactis, lac dandū est non in principio sed in progressu hecticæ, dummodo sit sine febre putrida, & stomachus sit mundus ab omni mali tia & hoc ne caseetur ac tandem conuertatur ad fumosum licet hæc omnia in marasmo non attendantur, in hac enim attenditur plus resumptioni, vt non citò deficiat æger, quam extinctioni, vt sanus fiat; patiens igitur sugat proprio ore ex mammis asinæ lac ad huc calens vt placet Gal. vel saltem minimo tempore extractum in ambiente aere sit moratum, assumat in principio vnum cyathum parum quotidie addendo stomacho bene ferente ascendat ad sextam vnciam, tandem quatuor horis & plus etiam ante cibum, vt in tali tempore digeratur quiescendo, à somno cauendo, quo ad aerem ipse sit frigidus & humidus. Quatenus pertinet ad materiam externam indicati, & quò ad aerem ipse sit frigidus & humidus

sed

ſed non flatuoſus & ventoſus valide, ſic enim eſt ſiccus & ad ægrotum perueniens conſtringendo nocet in domo ad ſeptemtrionem verſa, aut ad oriens vel ad occidens, dummodo non ſit ad meridiem, verum ſpatioſa ne in ea conſtringatur aer. Quo ad medicamēta refrigerantia & humectantia imponantur ipſa non ſolum thoraci & Cordi, verùm etiam Iecori, Ventriculo, renibus, ſepto tranſuerſo tamquam partibus in quibus febris videtur reſidere, verum ſint refrigerantia citra adſtrinctionem, vt ait Gal. 10. meth. cap. 9. ſuper dictas partes maneant parum ſed aſſidue ſubinde mutantur ne calefiant à partibus, vnde ita calefacta poſſint partes calefacere; ſtomacho, thoraci, ſeptotranſuerſo, renibus imponerem infrigidans Galeni vel oleum violatum cum cera alba colata; Cordi tale epithema, ſume aquæ violarum, ninpheæ, lactucæ, ſingulorum omnium vncias tres, aceti vnciam vnā, roſarum purpurearum drachmam vnam totidem omnium ſandalorum, ſpecierū diamargariton. drach. mediam, canphorę grana tria, croci tertiam drachmę partem; Iecori vero hoc epithema ponerem, ſume aquæ roſarum, endiuiæ vtriuſq; vncias quatuor, lactucæ vncias duas, aceti vnciam vnam, ſpecierum diarodonis Abbatis drach. vnam & mediam, raſuræ eboris drach. mediam, camphoræ tertiam drachmæ partem. Quo ad balneum, vſus balnei aquę dulcis ſimplicis à nulla re alteratæ ne pertubetur & corrumpatur remedij facultas eſt efficaciſſimus, in hac etiam febre coniuncta cum putrida cuius partes ex Galeno 10 meth. cap. 10. ſunt quatuor in prima ingredienes

versantur in aere calido, postea nimirum in secunda in aquam calidam descendunt, mox in 3. scilicet ab hac egressi in frigidam, postremo in quarta videlicet dicat quicquid vellit Trincauellius detergent sudorē, quæ omnes partes balnei non experiuntur, sed modo vna, modo altera, modo omnes sicut natura, virtus ætas, habitus corporis & aeris constitutio & morbus postulant.

Prima pars balnei calefacit, aperit meatus, liquat densatos humores, vacuat contenta sub cute calorem vaporem, humorem & excrementa.

Secunda pars per se calefacit humectat, aperit, & fundit, per accidens refrigerat euacuato calore febrili & fuliginosis excremētis & solidis partibus vtilē madorem immitit.

Tertia pars refrigerat corpus, cutem densat, & vires corroborat.

Quarta tandem pars vacuat per sudorem sine vacuationis noxa.

Quas omnes partes præter vltimam in hac febre experiri probo, verùm hac ratione, primum redderē in cubiculo aerem calidum, deinde pararem duo vasa reperta apud vulgares balnearios, alterum aqua calida alterum frigida plenum, ac post lenitionem alui aut sponte aut arte factam deportarem ægrum nudum super linteo calido, quem quatuor teneant à quoq; fini vnius in aquam calidam, ibiq; sit mora breuissimo spatio, vt præparetur ad recipiendam aquam frigidam sine noxa pro eius corroboratione, simile enim nobis accidere videtur vt ait Galenus in loco

loco citato, quod ferro contingit, quod vbi candens iam redditum in frigida mergitur corroboratur; deinde in eodem linteo ab illis quatuor deductus æger dimittatur in aquam frigidam, in qua permittant 11
parum morari, ac deinde eum ferant in proximum lectum, ibiq. primum spongijs deinde mollibus linteis blandissime detergant, postremo vngant cũ oleo quod sic facerem, sume oleorum frigidorum & humidorum quantumvellis, et pone in eis ad bulliendum medullam cancrorum fluuialium, carnem limaciorũ testudinum, ranarum aquaticarum bulliant ad consumationem tertiæ partis olei, coletur cum expressione & cum eo spinam vngant; Posthæc tandem nutriát in aere frigido & humido cum cibis supradictis, cuius potus sit vinum album clarum non sabstinens aquæ permixtionem sit tamẽ aquosum habens aliquid pontacitatis; Aluus sit quotidie humida, patiens declinet ad quietem ad somnum, ad animi tranquillitatem; quæ omnia in hoc casu desperato & ad protrahendam vitam solum proposui & ad honorem DEI Potentis facere monstrum, vt hic desperatus sanitati restituatur.



FINIS.



EPITOME PVLSVVM

Alexandri Alexij Patauini.

EPITOME PVLSVVM.

PRÆFACIO.



Otus Cordis & Arteriarum factus à facultate Vitali dilatatione & contractione pulsus appellatur à Galeno primo de diff. pulsuum cap. 2. & 4. de diff. pul. cap. 3. de quo cum ipse sit inter alia maximum argumentum, quod medicos deducit in cognitionem eorum, quæ homini insunt tam natura, tam præter naturam, tractationem conficere proposui non accurate & exquisite sed summatim unde distinguam Pulsum in quatuor capita, cum in ipso docuerim quatuor esse consideranda substantiam instrumenti, virtutem facultatis, quantitatem usus, & qualitatem motus & quietis, & quoniam non potest haberi substantia, nisi prius cognoscantur, quæ sint causæ pulsuum, quæ differentiæ, & quæ præsagitiones, idcirco de his agentes ad causas aggrediamur.

DE CAVSIS PVLSVVM.

CAusæ quæ variant pulsum aliæ sunt generantes aliæ alterantes, Causæ generantes sunt tres, Facultas, Vsus, & Instrumentum, Facultas est facultas vitalis, usus & conseruatio adnatiui caloris & nutritio spiritus animalis, Instrumentum est arteria; Causæ alterantes pulsum sunt res naturales, non naturales & præter naturam.

DE

AB excessu & defectu arteriarum à naturalitate, resultant differentiæ, quę sunt simplices & compositæ, simplices sumuntur a qualitate motus, & sunt cęleritas, tarditas, & mediocritas, à qualitate quietis & sunt crebritas, raritas, & mediocritas, à quantitate tota sunt magnitudo paruitas & mediocritas; à dimensionibus quantitatis & primum à longitudine sunt longitudo, breuitas & mediocritas, à latitudine sunt latitudo, angustia & mediocritas, à profunditate sunt altitudo, humilitas & mediocritas a substantia arteriæ sunt mollitudo, durities, & mediocritas, tandem à facultate Vitali & sunt fortitudo, debilitas, & mediocritas; hæ sunt differentiæ simplices ad quas simplices aliæ facile referi possunt. Compositę diff. sunt æqualitas, inæqualitas, ordo, ordinis perturbatio, quæ omnibus simplicibus pulsuum differentijs contingunt, differunt inter se quia æqualitas & inæqualitas fiunt in vna & pluribus pulsationibus, ordo autem & ordinis perturbatio fiunt in pluribus pulsationibus solum, æqualitas enim, vel inæqualitas nihil aliud est vel paritas vel imparitas prioris pulsationis cum reliquis, quæ sequuntur post priorem pulsum, ordo vero, vel ordinis perturbatio est paritas, vel imparitas circuituum multarum pulsationum.

Æqualitas igitur vel inæqualitas dupliciter dicitur generaliter & speciatim, generaliter si pulsus secundum omnes differētias omnibus modis pares vel impares maneant, speciatim si pulsus secundum vnā

tantum differentiam conseruant, aut mutant paritatem; generalis dicitur dupliciter vno modo collectiua, alio modo quæ vnica pulsatione constat, collectiua si pulsus à pristina conditione recedunt, sed parè recessum faciunt seruata pari mutatione pulsus inæquales æquales dicuntur, nam quatenus recedunt à sua natura & pristina conditione sunt inæquales, quatenus autem faciunt ęqualem mutationem, dicuntur æquales, è contra inæquales dicuntur, Quæ vnica pulsatione constat est cum perditur paritas vnius pulsationis, hæc autem vel accidit omnibus generibus vel vno tantum genere, si primo modo absolute pulsus dicitur quia inæqualitas hæc constat in vna particula arterię ratione diuersi temporis, si secundo modo dicitur inæqualitas nominatim & constat in pluribus partibus arteriæ hæc autem in vna parte arterię & in pluribus partibus arteriæ distribuitur in plures differentias, quas nè à breuitate discedam omitto, vt vnusquisq; cum his à me ennaratis videat apud Gal. in primo de diff. pul. à principio vsq; ad caput 13. & ab eo vsq; in finem.

Quo ad ordinem eiusq; perturbationem est sciendum pulsum inordinatum esse etiam inæqualem, sed non inæqualem inordinatum, sit exemplum pulsationes magni pulsus de genere pulsuum in magnitudine 1. 2. 3. sint magnitudine pares, 4. autem pulsatio ab huiusmodi paritate deficiat, tunc hic pulsus magnitudine est inæqualis, sed non inordinatus, cū verò tres proximę sequentes nempe 5. 6. 7. prioribus, nimirum 1. 2. & 3. sint pares & octauus respondeat

4. &

4. & ita cęteri circuitus eandem paritatem conseruēt hic pulsus ordinatus est quia circuitus sunt pares, si verò posteriores circuitus non respondeant, pulsus est inordinatus, & hæc satis de differentijs.

DE PRÆSAGITIONE PVLSVVM.

CEleritas dilatationis & constrictionis pulsus secundum causas generantes arguit vsum auctum, secundum causas alterantes, & primum secundum res naturales in sanis demonstrat temperamentum calidum, in ętatibus pueritiam & Iuuentutem; in anni temporibus finem Veris & ęstatem; in Regionibus calidam; in mulieribus pręgnantem; in otiosis expergescentem; secundum autem res non naturales balneum calidum, cibum modicum, vinum & potum nimis aquę; secundum tandem res pręter naturam copiam fuliginosorum excrementorum colligi & expurgari; in intemperie vniuersali vt febrem ephemeram putridam; in intemperie particulari vt inflammationem calidam cuiuscumq; partis; in solutione continui vlcus Pulmonis.

Tarditas contrarium significat & secundum res pręter naturam in intemperie vniuersali vt febrem hecticam, in particulari vt intemperiem frigidam, in solutione continui vt vlcus intestinorum, in mala compositione vt paralysim & alios morbos à phlegmate dependentes.

Crebritas arguit instrumentum durum secundum causas generantes, verum secundum causas alteran-

tes & primum secundum res naturales in sanis significat temperamentum calidum, in ætatibus infantiã, in anni temporibus æstatem, in regionibus vehemẽter calidam, in mulieribus prægnantem, in otiosis expergescentem; secundum res non naturales balneum calidum, cibum modicum secundum res præter naturam, in intemperie vt febrem, in solutione continui vt vlcus intestinorum in mala compositione vt paralysim.

Raritas autem contrarium significat.

Magnitudo secundum causas generantes significat augumentum vsus, secundum causas alterantes & primum secundum res naturales in sanis significat temperamentum calidum, in ætatibus pueritiam & Iuuentutem; in anni temporibus ver, in regionibus temperatam, in sexu virum & mulierem prægnantẽ, in otiosis expergescentem. secundum res non naturales balneum calidum tẽperatum & reliqua omnia quæ robur conciliant; secundum res præter naturam in intemperie vt febrem, ephemeram & putridam & inflammationem in venosis & arteriosis partibus. Paruitas contrarium significat, secundum res pręter naturam, partes neruosas affectas; sunt aliæ magnitudinis differentiæ, quę ex varijs distensionibus longitudine latitudine & altitudine sumuntur, longitudo enim significat corpus gracile, breuitas corpulentum, Latitudo decretorias deiectiones, Angustia plenitudinem, vel adipis, vel carnis, vel vaporum vel humorum in lateribus regionis arteriæ.

Altitudo iudicationes futuras. Profunditas regionem

nem vicinam arteriæ mundam, ex quibus multa possunt præsciri, quæ omittere & comittere volo lectori primi lib: de præsag. ex pul cap. 3. & 4.

Mollitudo significat instrumentum molle secundum causas generantes, verum secundum causas alterantes & primum secundum res naturales in sanis vitam voluptuosam, in ętatibus pueritiam; secundũ res non naturales alimenta humida balnea frequentiora, somnos multos & diuturnos; secundum res pręter naturam in intempetie per affluxum vt hydropem, in solutione centinui vt Phtisim, Perypneumoniam, in mala compositione per obstructionem meatuum vt hydropem. Durities contrarium significat, secundum res pręter naturam in intemperie febrem ardentem, Hecticam & alia omnia, quę habent eãdem rationem, in mala compositione Tumores duros, dispositiones neruorum, congelationem, tensionem & siccitatem emanantem ex diuturnis euacuationibus, quæ exsiccant solidas animalis partes.

Fortitudo secundum causas generantes significat facultatem vitalem robustam, secundum causas alterantes in sanis temperamentum calidum, in sexu, virum, in habito adscititio gracilitatem in ętatibus iuuentutem, in regionibus calidam & temperatam, in anni temporibus Ver; secundum res non naturales balneum calidum, temperatum vinum, alimenta, moderatas exercitationes & omnia quę corrigunt intẽperiem Cordis & arteriarum corporis; secundum tandem res pręter naturam in intemperie vt iram, in mala compositione vt humores semicoctos, & cru-

dos

dos. Debilitas in omnibus contrarium significat.
Mediocritas quę est particeps contrariorum naturalis differentia reperitur inter omnes differentias prę-terquam inter ęqualitatem & inęqualitatem, ordinē & ordinis perturbationem.

2. de presagitione cap. 4. Inęqualitas igitur significat aut oppilationem, aut compressionem instrumentorum, aut abundantiam humorum collatam ad facultatem aut intemperiem Cordis.

Ordinis perturbatię indicat causam variantem & 2. de presagitione cap. 13. inexpectatum euentum, solę igitur & simplices ita presagiunt differentię, quę vero si conuinctę & complicatę fuerint vt.
Celeritas, magnitudo & raritas simul significant facultatem robustam et instrumentum molle.
Magnitudo, celeritas, crebritas simul & multę sunt alię complicatę quarum presagium lectori primi lib. de presag. ex pul. relinquo.

DE SVBSTANTIA INSTRVMENTI PVLSVS.

INstrumentum vt dictum est in capite de causis pul. est arteria, cuius vtilitas est custodire eam, quę secundum naturam est caliditatem, & nutrire spiritū 1. de vsu partium cap. 16. animalem, eius substantia consistit inter durum & molle, & propterea moderata & naturalis dicitur, quę dum suscipit modo siccitatem, modo humiditatem ideo dicitur modo mollis modo dura ac pro vt talis est talem producit pulsum sibi similem modo durum, modo mollem, modo moderatum.

DE

DE VIRTVTE FACVLTATIS.

Facultas, quę arteria tamquam instrumento efficit pulsum, vitalis est, cuius vis est commodum tempera mentum Cordis, quę vbi est modo bene modo male temperata efficit etiam pulsum fortem aliquando debilem, aliquando temperatum.

DE QVANTITATE VSVS.

Dum Facultas strenuè suum obit munus fructum affert & vsum, quando magnum, quando paruum, quando moderatum, secundum multam, aut paruam aut moderatam dilatationem, & constrictionem, quas facit arteria, ex quo pulsus est aut magnus aut paruus aut mediocris. 1. de presagitione expul. cap. 4.

DE QVALITATE MOTVS ET QVIETIS.

Dilatatio & constrictio sunt qualitates motus, eorumq; fines sunt qualitates quietis per dilatationé quam Greci διαστολήν vocant trahitur & defertur aer frigidus ad Cor vt mediocritas caloris natiui retineatur & spiritus animalis in cerebro generetur, per constrictionem συστολήν apellatam foras expelluntur fuliginosa excrementa, quę sunt contracta ex coctione aut ex vstione humorum; verum dilatatio & constrictio fiunt vel celeriter, vel tarde vel mediocriter hinc pulsus vel celer, vel tardus vel mediocris; quies auté quę est duplex externa, quę est post dilatationem, interna quę est post constrictionem aut frequenter, aut raro, aut mediocriter accidit, hinc pulsus aut creber, aut rarus, aut mediocris, colligitur ex quiete pulsus, creber et rarus, quia definitur à Gal. esse id, cui tempus quietis est aut breue, aut longum, colligitur etiá ex vtraq; quiete contra eos putantes non sentiri constrictioné. lib. de pulsibus ad tyrones cap. 4. vide Valesium conſt. 7 lib. 3.

F I N I S.

Patauij, apud Gasparem Criuellarium.



Superiorum Permissu. 1627.